DE VITA ET SCRIPTIS

PETRI WESSELINGII.

DE VITA ET SCRIPTIS

PETRI WESSELINGII.

SCRIPSIT

I. C. G. BOOT.

EDIDIT

SOCIETAS ARTIUM DISCIPLINARUMQUE RHENO-TRAIECTINA.

TRAIECTI AD RHENUM,
APUD FRATRES VAN DER POST.
CIƆIƆCCCLXXIV.

Et gaudium mihi et solatium in literis.

PLINIUS, Epist. VIII, 19.

Ex officina typographica G. A. VAN HOFTEN.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM:

„COMMENTATIO DE PETRI WESSELINGII VITA ET VIRTUTIBUS LITERARIIS ET HISTORICIS,"

MUNITA LEMMATE:

„Et gaudium mihi et solatium in literis;"

CUI IN

CONVENTU SOCIETATIS RHENO-TRAIECTINAE ARTIUM ET DISCIPLINARUM

HABITO D. XXIV M IUNII MDCCCLXXIII,

AUREUM PRAEMIUM DECRETUM EST.

PRAEFATIO.

In colligenda materie huius commentationis multorum benevolentiam utilemque operam expertus eam divulgari nolo sine grati animi professione. Quod de familia et de prima adolescentia P. WESSELINGII *nonnulla nova proferre potui, debeo humanitati Viri Doct.* ROHDEWALD, *Arnoldini Steinfurtensis directoris; quae ex actis Senatus Urbani et Senatus Academiae Traiectinae deprompta sunt, accepta refero Viro Cons.* I. N. VAN HALL *et Viro Cl.* G. W. VREEDE; *epistolas, bibliothecae Leidensi non ita pridem illatas, inspiciendas perlegendasque mihi misit Vir doct.* G. N. DU RIEU. *Et his viris et iis qui libris rarioribus commodandis me adiuverunt, gratias ago et habeo maximas. Scr. Amstelodami d. XXVI m. Dec. MDCCCLXXIII.*

I. C. G. BOOT.

CONSPECTUS NARRATIONIS.

Prooemium p. 1—10.

Opportunitas quaestionis 1—3. Fontes. *a.* Aliorum relationes 4 et 5; *b.* epistolae Wesselingii et ad eum 5 et 6; *c.* libri ab eo vulgati 6—10.

Vita P. Wesselingii p. 10—99.

Gens et familia 10 et 11. Pueritia Steinfurti peracta 11—14. Magistri in Academia Leidensi 15, in Franequerana 16—19. Docet Medioburgi 19 et 20. Eloquentiae et historiarum professor Franequerae 21—52. Oratio inauguralis 23 et 24. Aliae orationes et carmina 25—30. Institutio et discipuli 30—32. Scribit Observatt. Variarum l. II. 33—35; Animadversiones ad Simsonii Chronicum 35 et 36; Probabilia 37 et 38; varia in Miscellaneis Observationibus 39—41; Sacras observationes in Symbolis Bremensibus 42; de veterum medicis ocularii 43. Adiuvat Fr. Oudendorpium 44. Spernit I. C. Schroederi convicia 45 et 46. Edit librum de rebus Casp. a Robles, laudat Sicconem a Goslinga 47. Docet literas Orientales et ad Theologiae professionem invitatur 48. Frustra vocatur Traiectum 49. Recenset vetera Romanorum itineraria 49—52.

Ad Academiam Rheno-traiectinam transit 53. Eius collegae et familiares 54—56, discipuli 57—59, scholae publicae et privatae 59—62. Diatribe de Iudaeorum ἀrchontibus 62 et 63. Epistola ad H. Venemam 64—66. W. praefatur Emm. Martini epistolis 66. Bl. Caryophi-

lum et Leichium iuvat in scriptis expoliendis 67. Leges Atticas Petiti denuo edit 68 et 69. Diodorum Siculum 69—73. W. iuris publici professor 73—75.

De epistolarum commercio inter W. et D. Ruhnkenium 75—78 et Reiskium 79 et 80. Artemidorum permittit Goensio 80. Amittit filium 81. Numos veteres colligit 82. Ad Herodotum recensendum se accingit 82 et 83. Dissertatio Herodotea 84 et 85. Herodotus 85—87.

Bibliothecae academicae praeficitur 87. Uxorem amittit 88. Valetudine laborat 89. Honores ei tributi 90 et 91. Moritur 92. Laudatur ab ignoto scriptore 92 et 93, a Bonneto 94, a Mein. Tydemanno et R. M. Goensio 95 et 96, a Seb. Ravio 97. Immerito Klotzius de eius candore dubitabat 98. Epilogus 99.

Additamenta.

I. Epistola Ti. Hemsterhusii p. 101.

II. Ex actis Cons. et senat. Traiectinorum prid. Kal. Mart 1735 p. 102.

III. Pactum inter Wesselingium et Wetsteinium de editione Diodori p. 103.

DE PETRO WESSELINGIO.

Qui in historia literaria reipublicae foederatarum provinciarum non plane hospes est, haud ignorat studia literarum Graecarum et Latinarum, quae saeculo decimo septimo ibi laete floruerant, saeculo proximo non modo non deferbuisse, sed exemplo Ric. Bentleii novum iter esse ingressa multosque in iis elaborasse, quorum nomina Musa vetat mori. Ne haec quidem aetas, quamquam aliis rebus magis delectatur quam antiquitatis studiis, oblita est quantum haec debeant ingenio et diligentiae Tiberii Hemsterhusii, Petri Wesselingii, Francisci Oudendorpii, Ludovici Caspari Valckenarii, Davidis Ruhnkenii, Joannis Schraderi, Danielis Wyttenbachii, multorumque qui ex horum disciplina prodierunt eorumque vestigia persecuti sunt. Neque quemquam nobis fingimus tam agrestem et a Musis alienum, quin admiretur parvam regionem, ubi tanta esset excellentium in antiquis literis virorum copia, ut saepius campus deesset, in quo virtus digne excurrere posset, quam qui cursum perficerent. Quae copia nunquam fuisset tanta, nisi eruditorum omnium tunc unus fuisset sermo, quo ita essent imbuti, ut patrium sermonem paene loqui dediscerent. Hac enim re factum est, ut quem ad modum antea Scaligeros, Lipsios, Salmasios, Gronovios, sic illo saeculo Dukerum, Wesselingium, Ruhnkenium, Wyttenbachium,

alios multos peregre natos et educatos, huc vocare aut quum sponte venissent hic retinere maiores nostri potuerint; quos viros, quum maiorem vitae partem hic traduxerint, paene nostros dicere licet.

Etsi autem illorum virorum memoria nondum est exstincta neque exstinguetur, quamdiu ingenii ipsorum monumentis honos habebitur, multum tamen abest ut omnes invenerint, qui eorum vitam posteris narrarent. Nam si excipias Tib. Hemsterhusium, cuius elogium a Ruhnkenio scriptum, in suo genere praeclarum, longioris tamen commentarii de vita et rebus tanti viri desiderium vix tollit, ipsumque Ruhnkenium, cuius vitam Wyttenbachius ita scripsit, ut alios a simili argumento tractando deterruisse videatur, comparationem cum egregio libro metuentes, praeter Wyttenbachii vitam, a Mahnio scriptam, diu nihil habuimus, quod iustae legentium exspectationi satis facere posset. Plures tamen digni erant, quorum vita paulo plenius ad posteritatis memoriam propagaretur, siquidem vere scripsit Wesselingius deberi hoc excellentium virorum memoriae, ut bene ab ipsis factorum et in literis meritorum ratio constet et ad posteros perseveret 1). Imprimis hic cogitamus Wesselingium ipsum et Valckenarium. Utinam aliquis aequalium, qui illis familiariter usus erat, et qui plurima sibi ignota facile ex eorum liberis, amicis, discipulis audire potuisset, hanc Spartam ornandam suscepisset. Sed nemo fecit, vel quod ab alio melius id fieri posse putarent; vel quod tantorum virorum laudes animo concipere et digne enarrare se posse desperarent. Itaque aut brevibus nec cuivis obviis relationibus contenti esse debemus, aut nobis temptandum est an aliqua ratione hoc desiderium explere possimus.

---

1) Diss. Herod. p. 73.

Societas, quae Traiecti ad Rhenum artibus et disciplinis colendis operam dat, quum diu frustra rogasset Valckenarii vitam, nuper bene merita est de historia literaria edita memoria eius viri a Bergmanno V. D. sibi oblata. Eadem illo infelici successu non deterrita plures iam per annos promulgavit quaestionem de vita Petri Wesselingii eiusque virtutibus literariis et historicis. Quum nemo exortus sit qui hanc solvere conaretur, circumspicere coepi num mea opera satis ampla materies congeri et aliquid edolari posset, nec summo viro nec erudita societate indignum. Post multos nec semper iucundos aut faciles labores eo perveni, ut Wesselingii imaginem, non illam quidem perfectam et ita delineatam, ut vivum videre te putes, at diligenter adumbratam verisque coloribus tinctam proponere me lectoribus posse confidam. Ut videmus nonnullos artifices parvas hominum imagines vi lucis in chartula factas mira arte maiores et vero similiores facere, sic ego e fontibus editis et ineditis pleniorem et veriorem narrationem de vita Wesselingii consarcinaturus sum, quam alii ante me facere aut voluerunt aut potuerunt. Quatenus assecuturus sim, quod volo, alii videant; ego vero profiteor nihil intemptatum me reliquisse, ut de illis rebus plura cognoscerem, sed expertum esse multas res levioris momenti olim pluribus notas post centum et plures annos densis tenebris involutas et oblivione obrutas latere.

Wesselingii stirps in filiabus exstincta est, quae sine liberis obierunt, nec qui hodie eiusdem nominis Amstelodami aliisque in locis supersunt ullo consanguinitatis vinculo cum eo iuncti videntur; certe nullam eius rei memoriam servant. In oppido Germaniae, ubi ille natus et educatus est, senex quidam per uxorem ei affinis pauca mecum communicavit, quae ad eius genus pertinent. De aliis rebus vitae privatae non multa tradere

potero, quoniam rarissima earum mentio fit in epistolis, quae supersunt, neque acta publica Traiectina praeter defunctorum professiones quicquam suppeditaverunt. Mea narratio nitetur relationibus aequalium, quibus ita usus sum ut nihil temere crederem, sed, quoad eius fieri potuit, singula accurate explorarem; tum multa debebit epistolis Wesselingii et aliorum, quae supersunt mihique haec paranti praesto fuerunt; ultimus et uberrimus fons mihi fuerunt Wesselingii scripta edita, qnae mihi omnia vel paene omnia in manibus fuerunt.

De Wesselingio vivo scripserunt J. C. Strodtmannus in Recentioris eruditae Europae T. IV p. 881—909, cuius narrationem anno 1753 compositam nonnullis deinde additamentis instruxit Ferd. Stoschius in eiusdem operis T. IX p. 99 seq. et in T. XX pg. 1051—1053, et E. L. Vriemoet, qui per aliquot annos eius collega fuerat Franequerae, in Athenis Frisiacis p. 791—793; scripturus erat Th C. Harlesius in opere de vitis philologorum sua aetate clarissimorum, ut ex epistola, quam a. d. II Kal. Oct. a. 1763 Gottinga ad eum dedit, didicimus, qua eum rogavit, ut de rebus et scriptis suis se certiorem faceret. Sed Wesselingius aut de instituto Harlesii non secus iudicans, quam Ruhnkenius 1), aut suae laudis contemptor petitioni non satisfecit.

Mortui elogium Gallice scripsit anonymus in opere trimestri, quod Hagae Comitum edebatur, Bibliothèque des sciences et des beaux arts T. XXII P. II p. 496—501, unde in Hollandicum sermonem conversum et repetitum est in horreo notissimo rei literariae 2), tum Chr. Ad.

---

1) Vid. Ruhnkenii epist. ad Heynium, edita in Misc. crit. Friedemanni et Seebodii Vol. II. P. 1. p. 11 et in Epistolis ad diversos a Mahnio editis, p. 7.

2) Vid. relatio in Vaderl. letteroefeningen 1765, vol. V p. 353 seqq.

Klotzius in Actis literariis, vol. II P. 2 p. 239 seqq., quod repetendum curavit suisque adnotationibus instruxit C. H Frotscherus in repetitione Observationum Lipsiensi p. VII—XVI.

Praeter hos plures discipuli et amici obiter Wesselingium laudarunt, quos suis locis indicabimus.

Hoc saeculo nihil de eo scriptum est, quod prius scriptis quicquam novi adderet, et nihil praeter cramben recoctam invenimus in opere biographico Hirschingii 1), in nostratis Kampenii historia literaria 2) aliisque. Ceteris melius hoc negotio functus est Gallus doctus P. C. F. Daunou in opere biographico Parisiis edito 3).

Alter fons, unde narrationem derivabimus, sunt epistolae Wesselingii ad Jo. Jac. Reiskium XIV editae post huius vitam p. 790—813; eiusdem IV ad Jo. Lud. Uhlium, editae in libro primo Sylloges novae epistolarum varii argumenti, Norimb. 1758, p. 155—161, ad J. G. Heineccium una, ad J. G. Hofmannum duae in eiusdem Sylloges libro quarto p. 748—754, pluresque eiusdem epistolae ineditae, quas in bibliotheca Academiae Leidensis servari catalogus Geelii me docuerat. Paulo etiam plures inventae sunt, quam in eo libro indicantur. Nam inspeximus datas ad Jo. Steph. Bernardum V, ad P. Burmannum II, ad Bl. Caryophilum I, ad Fr. Oudendorpium XIV, ad Dav. Ruhnkenium XI, ad Lud. Casp. Valckenarium V, ad Corn. Valerium

---

quae inscribitur. Het character van den H.Gel. heer Petrus Wesseling afgeschetst.

1) Fr. C. G. Hirsching's historisch litterarisches Handbuch berühmter Personen, welche in dem achtzehnten Jahrhundert gelebt haben. Fortgesetzt von J. H. M. Ernesti. Vol. XVI. P. 1 (Leipz. 1813) p. 268—279.

2) N. G. van Kampen, beknopte gesch. der lett. en wetensch. in de Nederlanden II. p. 255 sqq.

3) Biographie de Michaud vol. L. p. 395—400.

Vonckium XXI, quibus si addiderimus unam ad P. Bondamum, quae in bibliotheca Academiae Traiectinae inter Bondami chartas servatur, habebimus epistolas Wesselingii ineditas LX. Nulla quod miramur et dolemus eius ad Tib. Hemsterhusium aut Herm. Venemam epistola inventa est, huius ad Wesselingium suum una sola superesse videtur, illius nihil praeter schedulam, quae continet observationem ex adversariis depromptam.

Felici casu superest magna pars commercii literarii, quod multi viri docti, cives, exteri cum Wesselingio habuerunt. Plus quam septingentae variorum epistolae ad eum datae post eius mortem pervenerunt ad generum Gisb. Bonnetum, diuque apud huius heredes manserunt, donec anno 1858 emptione translatae sunt ad L. C. Luzacium, post cuius obitum bibliothecae Leidensi donatae sunt, ubi nunc consuli possunt. In magno numero sunt exigui vel nullius pretii, sed longe plures, in his epistolae Jo. Alberti, P. Burmanni Secundi, Henr. Cannegieteri, G. W. van Oosten de Bruijn, J. Ph. d'Orvillii, Fr. Oudendorpii, H. S. Reimari, Jo Jac. Reiskii, Dav. Ruhnkenii 1), Alb. Schultensii, L. C. Valckenarii, Corn. Val. Vonckii, Gottl. Wernsdorfii, multa continent, quibus historia illorum temporum imprimis literaria illustratur. Ex illo acervo non vilia grana legi posse hac mea, ni fallor, opera demonstrabitur.

Maxime autem Wesselingii ingenium, eruditio, industria, et quam bene meritus sit de historia et literis, cognoscitur e. libris ab eo scriptis editisque. Horum indices fecerunt, quos supra laudavimus, vitae scriptores; sed quum nemo unus omnia, quae ille scripsit, enumeraverit pluresque dissertationes Academicas eo praeside de-

---

1) Huius sunt epistolae XVI, editae a Mahnio in Epistolis D. R. ad diversos, Vlissingae 1834 p. 101—133.

fensas, in quibus conscribendis Wesselingii partes saepe perexiguas fuisse suspicamur, admiscuerint, non inutile iudicavimus hic subiungere titulos librorum et disputationum, quae certo ad eum referri debent, secundum temporis, quo singulae prodierunt, ordinem. Deinceps itaque lucem adspexerunt:

I. Oratio inauguralis de origine pontificiae dominationis, Franequerae 1724 fol.

II. Oratio habita a. d. IV. Non. Mai 1726 ad Seren. principem Wilhelmum Carolum Henricum Frisonem, cum studiorum causa Leovardia Franequeram migrasset. Franeq. 1726 fol.

III. Observationum variarum libri duo, Amstel. apud Wetstenios et W. Smith, 1727 8°. (Editio quae fertur Traiectina a. 1740 praeter titulum nihil novi habet. Sed iterum edidit, elogium scriptoris praemisit, suasque adnott. adiecit B. H. Frotscher, Lipsiae 1832).

IV. Ed. Simsonii chronicon historiam catholicam complectens ex recensione et cum animadv. P. W., Lugd. Bat. 1729. fol. (Altera editio prodiit Amstelodami 1752).

V. Probabilium liber singularis, in quo praeter alia insunt vindiciae verborum Johannis: et Deus erat verbum. Franeq. 1731 8°. (Nonnulla exempla habent fictam subscriptionem, Ultrajecti ex officina H. Besseling, 1731).

VI. Oratio funebris in memoriam Sicconis a Goslinga, Kal. Nov. a. 1731 dicta, Franeq. 1732 fol.

VII. Wilhelmus Car. Henr. Friso sponsus. Carmen recitatum et editum Franeq. a. 1734 fol. (Repetitum est a Laurentio van Santen in Delic. poet. VI p. 133—136) [1].

---

1) Pauca alia carmina Wesselingii infra indicabuntur.

VIII. Epistola C. Junii Patrophili ad Gratianum de Sancto Bavone in Misc. Observationibus a Burmanno et d'Orvillio editis, vol. IV. p. 125—131 (1734).

IX. De Carolino diplomate, quo Hollandiae comitatus Theodorico I perhibetur datus, in eodem opere, Vol. IV p. 265—270 (1734).

X. Vetera Romanorum itineraria, sive Antonini Aug. itinerarium, itinerarium Hierosolymitanum et Hieroclis Synecdemus, curante P. Wesseling, Amstelodami 1735 4°.

XI. Oratio pro historiis. Trai 1735 fol.

XII. Disputatio de Heraclitico αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη in Misc. Observ. Vol. V T. III p. 42—48 (1735).

XIII. De colonia Cabe, in eodem opere et tomo p. 76—78 (1735).

XIV. Diatribe de Judaeorum archontibus ad inscriptionem Berenicensem et dissertatio de evangeliis iussu Imp. Anastasii non emendatis in Victorem Tunnunensem, Trai. 1738. 8°.

XV. Sam. Petiti leges Atticae cum animadv. et praef. P. Wesselingii in Jurisprudentiae Rom. et Att. tomo III. Lugd. Bat. 1741 fol.

XVI. Diodori Siculi bibliotheca historica, Amstel. 1745 duobus tomis in fol.

XVII. Sacrarum observationum specimen in Symbolis literariis Bremae editis Tom. III. P. II. p. 301—334 (1747).

XVIII. Oratio in natalem Wilhelmi-comitis Burani, Trai. 1748 fol.

XIX. Epistola ad v. cl. H. Venemam de Aquilae in scriptis Philonis Judaei fragmentis et Platonis epistola XIII cet., Trai. 1748 8°.

XX. Epistola critica de Dione Cassio ad H. S. Reima-

rum, scripta a. 1750 et edita in Vol. II Dionis, p. 1500 seq.

XXI. Oratio in obitum Seren. principis Wilhelm. C. H. Frisonis, Trai. 1752 fol.

XXII. De veterum medicis ocularíis observatio prima in Vol. III Actorum societatis lat. Jenensis. p. 48–55. (1753).

XXIII. Dissertatio Herodotea ad Ti. Hemsterhusium, Trai. 1758. 8°.

XXIV. Oratio in obitum celsiss. principis Annae, foeder. Belg. gubernatricis, Trai. 1759 fol.

XXV. Herodoti Histor. libri IX. Editionem curavit et suas itemque L. C. Valckenarii notas adi. P. W. Amst. 1763 fol.

XXVI. Lectio publica de Aristobulo Judaeo, edita a Jo. Luzacio post L. C. V. diatriben de Aristobulo, p. 129—136, Lugd. Bat. 1806.

Sunt praeterea Wesselingii cura editi Jo. Caroli de rebus Casparis a Robles Billaei in Frisia gestis commentariorum libri IV, Leovardiae apud Tobiam van Dissel 1731, cuius libri nonnulla exempla alium typographum annumque 1750 falso prae se ferunt. Scripsit quoque praefationem editionis Amstelodamensis epistolarum Ern. Martinii Hispani, quae anno 1758 prodiit; et Tomi III Thesauri Morelliani, Amst. 1752.

Non redegi in ordinem scriptorum quatuor orationes ab eo habitas, unam Franequerae anno 1733 de vitiis et defectibus historiae ecclesiasticae, tres Rheno-traiectinas de statu religionis et rei publicae sub Constantino Magno, 1737, de vera civitatis felicitate, 1746, de viro bono bono cive, 1749, quoniam incertum est fuerintne typis descriptae et editae. Ego certe in variis bibliothecis publicis privatisque frustra quaesivi, nec vidi qui eas se vidisse manibusque trivisse affirmaret. Quamobrem haec

faciunt, ut eas in scrinio servatas fuisse, neque superesse suspicemur.

Ex his fontibus narraturo vitam et virtutes Wesselingii non opus erit venia, si eodem utetur sermone quo ille constanter in iis, quae ad plures pertinere volebat, usus est. Ut paene ineptus videretur, qui de Catsio aut de Bilderdykio scripturus Latina potius quam ipsorum lingua uteretur, sic res ipsa postulat ut de Wesselingio Latine scribatur. Et quotusquisque curabit illius memoriam qui commentationem Latinam non intellegat? Quam multi contra erunt, qui de illo aliquid legere cupientes non poterunt, si disputatio sermone Nederlandico extra fines huius regionis paucis noto fuerit conscripta?

Gens Wesselingia, vel, ut a nonnullis Latini sermonis colorem captantibus vocabatur, Veslingia, saeculo decimo septimo in Westphaliae oppidis Osnabrugi, Mindae, Steinfurti, florebat. Eruditionis laudem plures sibi compararunt e familia Mindana, de quibus Jo. Car. Opitzius, rector gymnasii illius oppidi egit in Schediasmate de tribus Wesselingiis, doctis Westphalis, anno 1748 edito. Eorum notissimus Johannes, qui Patavii anatomen et botanicen docuit, a Nic. Heinsio 1) duobus carminibus laudatus, cuius sepulcro inscriptum est elogium Octavii Ferrarii. Consanguinei, qui comitatus Benthemiensis non ignobile oppidum, quod Burgo-Steinfurtum vel simpliciter Steinfurtum appellatur, incolebant, mercaturam exercebant ibique saepius magistratus gesserunt.

Ex hac familia nemo inclaruit, praeter Petrum, de quo agimus. Is patrem habuit Gerardum 2) qui Stein-

1) Nic. Heinsii poemat. p. 181 et 198 edit. Elsevir. a. 1666.

2) Vriemoet Petrum facit filium Joannis. Sed, quum in eiusmodi

furti consulatum gessit, matrem Annam Reiners, aut secundum alium auctorem Annam Creter. Illis parentibus orti sunt quinque liberi, tres filii Hermannus, Petrus, Gerardus, duae filiae Maria Catharina et Johanna. Filius natu maximus et maior filia in loco natali manserunt et huius unius, quae nupsit civi suo Prümers posteri supersunt hodieque eodem in oppido vivunt 1). Altera filia bis matrimonio iuncta fuit cum Hollandis. Filius natu minimus Gerardus, non indoctus theologus, qui saepe fratris Petri sententiam rogabat de interpretatione locorum difficiliorum codicis sacri et scriptorum Graecorum et Latinorum,, ut e tribus epistolis forte servatis vidimus, verbi divini minister fuit Vianae, ubi sine prole anno ante fratris mortem diem obiit supremum.

Petrus natus est die 7 mensis Januarii anni millesimi sexcentesimi nonagesimi secundi aerae Juliae, quam tunc ibi sequebantur, et educatus in loco natali. Ab ineunte aetate naviter literis operam dedisse fertur suo ingenio obsecutus et parentum adhortationibus excitatus 2). Quum X annos natus patrem amisisset, adiutus videtur liberalitate avunculi Wesseli Reiners, mercatoris Emdani, ut veteres linguas in schola Latina addisceret et ut deinde per tres aut quatuor annos Theologiae studiis in schola illustri, quae vocabatur Gymnasium Arnoldinum, operam

---

rebus non semper fide dignus sit, atque ut exemplo utar in nomine patris Tib. Hemsterhusii erret, quem p. 782 facit N. (Nicolaum), quum esset Franciscus, malui sequi stemma Steinfurtense. Quoniam in libris ecclesiae Steinfurtensis omnes professiones natalium intra annos 1690 et 1712 factae desiderantur, res ad liquidum perduci non potest.

1) Sororis illius filius Walradus Prumers anno 1742 avunculi commendatione gymnasii Medioburgensis praeceptor factus est. cf. F. O. Reitzii oratio de gymn. Mediob. p. 22.

2) Eloge de P. W. p. 496 l. l.

daret 1). Haec respublica ex Arnoldino plures accepit viros clarissimos, qui ibi docuerant, velut Jo. Ortw. Westenbergium et tres Pagenstecheros JCtos multosque Steinfurtenses, qui ex illo ludo prodierunt, e quibus nominasse satis erit Henr. Pontanum, Theologiae professorem Rheno-traiectinum, Henr. Cannegieterum, Wesselingii aequalem et amicum, qui rectoratu gymnasii Arnhemiensis contentus fuit, quum ob egregiam antiquitatis scientiam cathedras Academicas obtinere et ornare potuisset, Fred. God. Houckium iuris professorem Steinfurtensem, deinde Daventriensem, tandem ab anno superioris saeculi quadragesimo sexto Wesselingii collegam Traiectinum.

Quo tempore Wesselingius ex inferiore schola Latina ad Arnoldinum transiit, tres professores ibi iuventuti ad iurisprudentiae et theologiae studia colenda duces erant, Augustus Houck et Johannes Fredericus Gulielmus Pagenstecher 2) JCti, quibus simul institutio in sermone Graeco et Latino, in historia et antiquitatibus erat commissa, et Arnoldus Visch, linguae Hebraicae et theologiae professor. Hos ille per tres quatuorve annos audivit et maxime se applicuit ad theologum, quem optime de se meritum gratus discipulus ab oblivione vindicavit, quum

1) Apparet ex inscriptione disputationis de petra, in qua Petrus eum appellat avunculum optimum, Maecenatem suum aeternum honorandum, devenerandum.

2) Strodtmann l. l. p. 886 nominat Wernerum Justinum Pagenstecherum. Perperam. Hic enim, qui a. 1695 Westenbergio successerat Stenofurti, iam a. 1703 Marburgum abierat ut principi Hessiae a consiliis esset. Sed Joannes Fred. Gul. natus a. 1686 nondum viginti annos natus Prof. iuris Marburgi, a. 1709 ut ius Romanum, historiam, antiquitates et philosophiam doceret Stenofurtum profectus est, unde non ante annum 1720 migravit Harderovicum. Cf. Bouman, Geschiedenis der Geldersche Hoogeschool. II. p. 87 seqq. et imprimis das neue gel. Europa X p. 422–426.

disputationem illo praeside defensam, a. 1712 ei quoque inscriberet »praeceptori suo ad rogum usque suspiciendo, colendo."

Quae pietatis et amoris professio non pugnat cum iis, quae Sebaldus Ravius, qui Wesselingii consuetudine usus fuerat, in demortui memoriam aliquando rediens, illudque tempus Steinfurtense cogitans, his verbis dixit: »Qua via et ratione ad eam eruditionis famam pervenerit, quam est consecutus, facilius est dicere, quam qua pervenerit ad ipsam eruditionem; quia paucis nec admodum claris praeceptoribus usus est 1)." Nam ut concedamus neque illos JCtos interiore antiquitatis Graecae aut Latinae scientia instructos fuisse, etsi nolumus iniqui esse in Pagenstecherum, qui Harderovici cum laude literas illas docuisse traditur 2), neque theologiae professorem dignum fuisse, qui in amplius theatrum produceretur, tamen in parvo discipulorum numero suis praeceptis et adhortationibus plus fortasse profuerunt adolescenti ingenioso et industrio, quam plures et clariores professores, sed alumnos suos minus respicientes, fecissent.

A. d. VI Non. Quint a. 1712 Wesselingius publice defendit disputationem theologicam de petra in Matthaei euang. XVI, 18, cuius rarissimi libelli integrum titulum in adnotatione referre lubet 3). Si quis forte miratur in

1) Vid. Seb. Ravii Orat. panegyrica Trai. a. 1786 habita, p. 23.

2) Cf. Bouman, op. l. II. p. 92.

3) Disputatio theologica de Petra, Matth. XVI, 18, secunda. Quam suffragante summo numine praeside Arnoldo Visch, S. S. Theol. doctore eiusdemque facultatis nec non linguae sanctae Professore, h. t. scholarum trivialium curatore atque V. D. ministro ordinario, sexta Non. Julii in auditorio maiori, loco horisque solitis publice defendet Petrus Wesseling, Steinfurtensis. Burgo-Steinfurti apud Conr. Cunradi, Ill. Arn. Typ. 1712. Libellus formae, quae dicitur 4to minor, paginis XXIX absolvitur.

indice scriptorum Wesselingii, quem supra dedimus, hanc disputationem omitti, sciat eam scriptam esse a praeceptore Arn. Visch, quod non temere a nobis affirmari in adnotatione ad hunc locum declarabimus 1).

Defendentis sunt fortasse XII theses sive corollaria, ut hic vocantur. Sed quum nihil in iis sit, quod vel ingeniose inventum, vel ex antiquarum literarum fonte ductum sit, non magis nos morari debent quam inconditum carmen, quod ab ipso acceptum Langenbergius disputationi primae subiecerat.

Grata mente Wesselingius postea agnovit, quid Arnoldino deberet. Supersunt duae epistolae ad eum missae a. 1746 et sequenti, quibus professores gratias egerunt celeberrimo scholae suae alumno pro libris missis, hodieque Steinfurti servantur exempla Diodori et Herodoti ab editore »in grati animi tesseram bibliothecae illustris Arnoldini libenter merito donata."

---

1) Disputatio de petra prima biennio ante a Car. Wess. de Langenberg publice eodem in loco defensa est. Initio illius libelli legimus petram in loco Matthaei laudato non esse Simonem Petrum 1°. ob vim vocis; 2°. ob ea, quae de hac petra in textu commemorantur; 3°. ob connexionem; 4°. ob verba consequentia; 5°. ob loca parallela; denique 6°. ob reliquam scripturam. Scriptor profitetur singula se dilatare atque elucidare velle. At in illa disputatione de duobus primis solis agitur. Initio *secundae*, quae a Wesselingio defensa est, proceditur ad tertiam rationem e connexione petitam (p. 27), deinde ad quartam in verbis consequentibus positam (p. 47). In extremo libello p. 55 scriptor dicit se paullulum immorari velle verbis: „et dabo tibi claves regni coelorum," sed id facturum in proxima disputatione. Et re vera tertia disputatio a. 1715 publice defensa ab Jo. Rud. Robers et quarta, quae a. 1717 edita est et defensorem habuit Fred. Leon. Meierum, in ea quaestione versantur.

Itaque quatuor libelli unam et perpetuam disputationem continent idque declarant perpetuo numero paragraphorum et paginarum (128), nec potuerunt scribi variis temporibus a quatuor adolescentibus, sed manifesto debentur uni Theologo, sub cuius praesidio sunt defensae.

Haec de Wesselingii genere, parentibus, magistris afferre possumus. Pauca sunt et quae minime desiderio satisfaciunt. Quare si quis plura et integriora de illis rebus narrare possit, erit nobis magnus Apollo.

Aestate anni 1712 prudenti consilio adolescens patriam urbem reliquit, et ut clariores professores audiret et lautioribus studiorum subsidiis uteretur in florentem Academiam Leidensem se contulit. Ibi tum duo viri magni nominis erant Historiarum, Eloquentiae et linguae Graecae professores Jacobus Gronovius et Jacobus Perizonius, Theologi Joannes a Marck, Salomo van Til, Franciscus Fabricius, Johannes Wesselius. Adolescens Steinfurtensis Theologiae studio incumbens non tamen ita se huic uni mancipavit, quin Gronovii quoque et Perizonii scholas adiret. Fuisse Perizonii discipulum testantur Strodtmannus et Klotzius, nec verisimile est eum neglexisse scholas summi viri, quo nemo elegantius et doctius historiam tradidisse fertur nec auditores plures allexisse; sed Wesselingius, qui Perizonium saepe laudavit in adnotationibus ad Simsoni chronicon aliisque scriptis nusquam eo magistro se usum narravit. Neque ullum scriptum Wesselingii historicum legere memini in quo ostendat se fuisse Perizonii germanum discipulum; at in oratione, qua declaravit quid de historiae veteris fide iudicaret, traditiones de originibus et antiquissima historia populorum Orientalium, Graecorum et Romanorum fictas et commentitias esse negans longe alia quam Perizonius via progreditur.

Fortasse captus humanitate et affabilitate Gronovii 1) improbavit Perizonii violentiam animumque ad lites pronum, quem Gronovius et ipse in scribendo acer nec modum servans expertus erat. Nam hunc docentem quum

1) Cf. vita Ruhnk. p. 247.

alii admirabantur magnique faciebant, ut apparet ex elegia Jacobi Philippi d'Orvillii in eius obitum scripta 1), tum Wesselingius, qui senex illud testatus est 2) et qui magistri memoriam tam pie coluit ut integras eius in Herodotum adnotationes in sua editione repetendas curaret.

Postquam biennium his magistris usus fuerat, migravit Franequeram, ubi die octavo m. Septembris a. 1714 nomen inscripsit albo studiosorum 3). Academia Frisiaca tunc florebat professoribus in omni disciplina principibus. Summa erat lateque extra regionis fines propagata fama Campegii Vitringae patris, qui quum adolescentulus professionem linguarum Orientalium capessens dixisset de officio probi sacrarum literarum interpretis, deinde ad Theologiam translatus per annos XL eo officio praeclare functus est; nec multo minor Lamberti Bosii, viri Graece doctissimi, cuius plurima scripta grammatica et critica ne nostris quidem temporibus laude carent. His se praeceptoribus usum esse Wesselingius ipse testatus est. Nam in epistola ad H. Venemam p. 3. C. Vitringam appellat »Theologorum huius aetatis principem et de utroque nostrum praeclare olim meritum »et p. 26 laudat L. Bosii solitam modestiam, »quam, cum docentis ex ore penderemus, toties ambo admirati sumus," quod pulcre conspirat cum ipsius Venemae testimonio de eodem viro clarissimo »quo uterque gavisi sumus in Graeca lingua doctore bene de nobis merito." Nec senex Wesselingius Bosii oblitus erat. Nam in dissertatione Herodotea laudato Cebetis quodam loco addidit:" Quod nescio qui male

---

1) In L. Santenii delic. poet. p. 430 seqq.

2) Diss. Herod. p. 91 et in praef. ad Herod. p. 3 versa.

3) Cf. J. W. de Crane, bijzonderheden de familie Hemsterhuis betreffende, p. 128.

sanum et vitii manifestum viro egregio fuerit, quem ante hos quadraginta annos Franequerae et doctorem et amicum veneratus fui grataque nunc memoria recolo 1)"

Hunc ille prae ceteris sibi imitandum sumpsisse videtur, non minus rerum quam verborum scientia clarum, cuiusque modestia, lenitas, candor ceteraeque virtutes non minus quam eruditionis copia adolescentem rapiebant.

Praeter hos audivisse dicitur Ruardum Andalam, philosophum et theologum doctissimum et Campegium Vitringam filium, qui anno 1715 patri collega datus est et tam strenue iuvenibus formandis, ut Tib. Hemsterhusii verbis utar, operam adhibuit ut anteponi nemo, pauci cum eo comparari possint 2).

Non nominatur inter eius magistros Albertus Schultensius, qui proxime superiori anno ibi linguae Hebraeae Professor creatus iam tum ostendebat quantus vir in studiis literarum Orientalium futurus esset Constat tamen Wesselingium earum literarum scientiam illo duce auxisse, et cum praeceptore paene aequali videtur Franequerae illam consuetudinem habuisse, quae deinde, quum collegae essent annis 1723—1729 magis confirmata est, ut testantur sex huius Schultensii ad Wesselingium suum Lugduno datae epistolae, quem per ferias saepius cum uxore hospitio suo excepit. Schultensius autem, quum quae scripserat de originibus linguae Hebraeae optimis discipulis defendenda committeret, secundam disputationem die 30 Nov. 1715 a Wesselingio publice defendi voluit 3).

---

1) L. l. p. 199.

2) Cf. T. H. et L. C. V. orationes p. 143.

3) Hanc disputationem non ab eo qui defendit fuisse conscriptam certissimum est. Wesselingius eam dicavit Alberto Reenio V. D. M. in Ecclesia Maccumensi, cuius plurima in se collata beneficia gratus memorat. Quae qualia fuerint non habeo dicere.

Eodem tempore e Groningana Academia Franequeram se contulerat Hermannus Venema, aetate Wesselingio suppar, ut iisdem doctoribus uteretur [1]. Cum hoc commilitone imprimis amicitiae vinculo se coniunxit, quam constanter servarunt quum aliquot annis post in eodem loco, ubi didicerant, alios docerent, et postquam Wesselingius alio abiisset. Sed hac de re infra aptior erit dicendi locus.

Wesselingius autem in tranquilla illa Musarum sede ita vivebat, ut potuisset in se convertere, quae M. Tullius in causa Archiana de se gloriatus est, se quantum aliis conceditur temporis ad voluptates varii generis, ad studia doctrinae colenda sumpsisse, facileque credimus eum plus olei quam vini consumpsisse et semper ante oculos habuisse sententiam, quam postea solebat studiosorum albis inscribere: Vitanda est improba Siren, desidia [2]. His ille moribus commendatus per annum custodis sive ephori munere functus est apud adolescentulum e nobilissima gente Frisiaca a patre ad studiorum rudimenta Franequeram deductum, eaque re effecit ut diutius scholis professorum publicis et privatis uti et doctrinae suae copias augere posset. Legimus apud Strodtmannum [3] alumnum fuisse aliquem Scheltingam. Cogitari certo debet de filio natu maximo Martini a Scheltinga qui erat unus Curatorum Academiae. Puer Menno Coehoorn a Scheltinga natus anno 1701, etsi iam anno 1715 in patris locum praetor Schoterlandiae factus erat [4] mense

1) Errat vir doct. Sepp Wesselingium recensens inter magistros quos Venema Franequerae habuerat, in opere, quod inscribitur: J. Stinstra en zijnen tijd, I. p. 42.

2) Cf. Seb. Ravii or. paneg. a. 1786 p. 23.

3) Op. l. IV. p. 886.

4) Cf. Vriemoet Ath. Fris. p. XCII seq. et Stamboek van den Frieschen adel I. p. 321.

demum Octobri a. 1718 nomen suum albo Academiae Frisiacae inscripsit et ante illud tempus habuit studiorum suorum moderatorem Wesselingium. Is rem bene gessit, amorem discipuli, benevolentiam patris sibi conciliavit huiusque beneficia expertus est, ut grato animo ipse postea est professus 1).

Quando Academicis studiis finem fecerit, accurate definiri nequit. Si Vriemoetio fides habenda esset, anno 1718 receptus esset inter candidatos sacri muneris et sequenti anno Prorector creatus gymnasii Medioburgensis. Sed quum constet eum vocatum esse in locum Jo. Caspari Schroederi, qui exeunte anno 1717 in locum Samuelis Pitisci scholae Hieronymianae apud Traiectinos praefectus est 2), malo hac in re sequi auctoritatem eius, qui narravit historiam gymnasii Medioburgensis 3), et utrumque refero ad annum 1717 4)

Certum est Wesselingium, ut multos alios transiisse a theologiae studio ad grammatici munus et officium, et quae privatim prius tradiderat sermonis Latini et Graeci praecepta, tum publice pueris dare coepisse.

Non properavit ut scribendo librisque edendis se hominibus commendaret 5), sed operam posuit in munere

---

1) Vid. dedicatio Probabilium.

2) Cf. A. Ekker, de Hieronymusschool te Utrecht, II. p. 13.

3) F. Th. Reitz, orat. de oppnn. Mediob. 1753, p. 18 et 32.

4) Eundem annum indicavit Klotzius. Nihil lucis oritur e libellis, qui in eiusmodi quaestionibus non raro cum fructu consuluntur, de Boekzáal. Nam illo tempore nondum res ecclesiasticae et scholasticae in iis narrabantur.

5) Medioburgi nihil scripsit, quod lucem vidit, praeter carmen, quod inscribitur: Ode in praematurum obitum ornatissimi et optimae spei iuvenis Petri Immens, defuncti XVII Kal. Oct. CIƆIƆCCXX. Medioburgi apud Sim. Clement, civitatis typographum. Exemplum fortasse unicum servatur in bibliotheca societatis Zeelandiae.

recte obeundo, eamque boni praeceptoris famam adeptus est, ut post triennium Daventriam vocaretur ad gymnasii moderamen suscipiendum. Quem honorem quum recusaret, id tam gratum fuit civibus suis, ut ipsum in illustri schola Lectorem linguae Graecae et historiarum facerent. Mox senatus Academiae Franequeranae, quum Coetierio seni laboris socium quaererent, eum dignum iudicavit, qui cum aliis viris doctis ad eloquentiam et historias docendas IV viris rei Academicae curandae commendaretur 1) Creatus tunc est Jo Conr. Rungius, Jac. Perizonii discipulus et consobrinus, qui iam doctis scriptis et scholis, quas habebat in Academia Harderovicena, ostendebat, qualis et quantus historicus futurus fuisset, si longior ei vita contigisset. Sed ille non diu provinciam sibi mandatam administravit, exstinctus in primo vitae flore mense Januario a. 1723.

Wesselingius Medioburgi non sic se totum in literas abdiderat, ut amori et amicitiae nihil temporis concederet. Nam lectissimam virginem, Annam van Groenewal, ibi duxit uxorem et pervenit in familiaritatem bonorum et literas amantium virorum, in quibus fuisse Petrum Boddaertium poetam non ignobilem et Petrum de la Rue ex ipsorum epistolis constat. Atque hunc quidem iam tunc occupatum in colligendis notitiis de Zeelandis, qui in literis aliquid praestiterunt, quas anno 1734 iterumque auctius anno 1741 edidit, in illa re consilio monitisque adiuvit; utriusque autem amicitiam quanti faceret palam professus est, quum suam recensionem Chronici Simsoniani iis inscriberet. Sed etsi locus et homines ei placebant, non diu tamen in Zeelandia mansit. Nam die XII Martii a. 1723 in Rungii demortui locum Franequeram vocatus, brevi post ad Frisios remigravit.

1) Cf. Bouman, op. l. II p. 71. de Craue, op. l. p. 127 seq.

Academia Franequerana intra breve tempus graves clades acceperat obitu Lamberti Bosii et utriusque Vitringae, patris et filii, discessu Jo. Ortw Westenbergii. Sed damna egregie reparavit sufficiendo illis Tib. Hemsterhusium, Herm. Venemam, Alb. Guil. Melchioris, Jo. Gotl. Heineccium, quibus mox adiunxit Jac. Voordam et post Heineccii in Germaniam reditum Abr. Wielingium. Cum his collegis et cum Alberto Schultensio, quem suum olim praeceptorem in literis Orientalibus ad annum 1729 collegam habuit, Wesselingius plures per annos quotidiano usu coniunctus in illo bonarum artium nobili mercatu felicissimam aetatis partem transegit. Testem dabo Hermannum Venemam, qui et initio epistolae ad Wesselingium datae annoque 1754 editae recordatur amicitiae cum hoc ab ipsa adolescentia sine ulla interruptione constantissime et integerrime cultae, et in exordio alterius epistolae eodem anno ad Tib. Hemsterhusium missae gratus redit in memoriam illius temporis, quum cnm illo et cum Wesselingio arctiore amicitiae vinculo colligatus familiariter conversaretur suaeque sortis hac in re felicitatem laudat Lubet his adjungere quae Jo. Henr. Verschuir de illa re scripsit 1): »Singulari sortis felicitate in muneris initio H. Venemae obtigerunt collegae optimi, viri quique in suo scientiarum genere summi A. Schultensius, T. Hemsterhusius, P. Wesselingius, J. G. Heineccius et W. G. Muisius, quorum familiarissima utebatur amicitia, in quorum consortio se laboribus defatigatum recreabat. Qui viri magni se invicem consiliis adiuvabant et laudabili aemulatione de palma certabant." et quod C. F. Walchius in elogio Heineccii memoriae prodidit 2) eum

1) In elogio H. Venemae p. 7.

2) Vid. Acta Soc. lat. Ienensis vol. II p. 289, cf. quoque Heineccius filius citatus in Vriemoetii Ath. Fris. 803.

Franequerae cum collegis suis caritate et amicitia coniunctum fuisse, ut nunquam inde in patriam rediisse nisi adversa valetudine coelum mutare fuisset coactus.

Si vere statuimus Wesselingium extremo anno 1717 Zeelandiam abiisse, vix potuit iam tum pervenire in interiorem cognitionem Ti. Hemsterhusii, qui post feria aestivas eius anni Bosio in linguae Graecae profession successerat. Satis tamen viderat, ut summi viri divinum ingenium et immensam doctrinae copiam admiraretur. Nunc vero eius collega factus et in intimam amicitiam admissus, eius doctrina doctior factus est, eumque maxime habuit auctorem studiorum recte instituendorum. »Erat iam tum, ut scripsit Ruhnkenius [1]), in Wesselingio magna et incredibili studio parta doctrinae copia, sed aversus a critica ratione animus. Verum cum Hemsterhusius ei crebris sermonibus demonstrasset nullam eruditionem, quamvis variam et copiosam, esse veram et accuratam sine critica disciplina posse, totam studiorum rationem commutavit, et post illa ipsa arte, quam ante oderat, nomen suum immortalitati commendavit.''

In illis amicissimorum collegarum consessibus certo tempore repetitis non agebatur de lana caprina, nec bonum tempus terebatur potando et ridendo, sed egregius mos erat, ut de variis rebus ad doctrinas pertinentibus sermones haberentur et sententiae vel coniecturae proferrentur, quam ob rem Wesselingius diu postea palam declaravit eorum recordationem sibi esse periucundam [2]). Si quis aliquid novi se invenisse putabat, communicabat cum collegis eorumque sententiam exquirebat [3]). Quod si quem memoria fugiebat aut quaestio agitata paucis

---

1) Elog. Hemsterh. p. 60 seq.

2) Vid. Epist. ad H. Venemam p. 13 seq.

3) Cf. adn. Hemsterhusii ad Arist. Plutum p. 354.

absolvi non poterat, mox domum reversus ex libris vel adversariis locum obscuriorem illustrare studebat. Servata est ex hoc genere docta observatio Wesselingii, quam cum Heineccio communicavit de consulibus a 881 u. c. 1), utarque hac opportunitate, ut e chartula casu servata inter thesauros Leidenses doctam animadversionem Ti. Hemsterhusii ortam e sermone cum collega describam et publici iuris faciam 2).

Plures menses scholas Academicas habuerat, quum a. d. XI. Kal. Apr. a. 1724 orationem recitaret inauguralem. Iniqua erat dicentis conditio; nam eodem die tres collegae Venema, Melchioris, Heineccius munera auspicati sunt, et perorandi locus Wesselingio relictus. Dixerunt illi copiose de argumentis e theologia, disciplina morali et iurisprudentia sumptis 3), eratque cur orator illis succedens metueret, ne eorum, qui plures per horas in templi Academici subselliis inhaesissent, patientia exhausta esset. Non tamen pepercit auribus audientium et argumentum dicendi, quod petierat ex historia ecclesiastica, agens de origine pontificiae dominationis, docte et accurate explicavit. Nam ostendit quem ad modum episcopi Romani ab initio id spectaverint, ut auctoritate et potentia ceteros eiusdem dignitatis sacerdotes superarent, quibusque artibus id quod vellent, paulatim assecuti sint; qua in re quae fuerint Zosimi, Leonis Magni, Gregoriorum Magni et Septimi partes, quid pontifices debuerint bellis sacris, fictis decretalibus, inquisitionis tribunali perspicue et copiose demonstratur 4).

---

1) Edita in Sylloge nova epistt. libro IV p. 748 seqq., cum subscriptione hac: „Franequerae 1727." De eadem re agitur Observ. II. 21.

2) Vid additamentum primum.

3) Cf. Vriemoet, Ath. Fris. p. 787, 796, 802.

4) Vir doct. Chr. Sepp in opere Joh. Stinstra en zijn tijd, Vol. I p. 26, merito hanc orationem appellavit *een flink historisch betoog.*

Oratio commendatur doctrinae copia, apta rerum dispositione, nec caret ornatu oratorio, sed desideramus in ea, ut in ceteris antiquioribus scriptis Wesselingii purum castigatumque sermonem. Puer non videtur habuisse magistros, qui ipsi bene Latine scirent et scriberent, errantique rectam viam monstrare possent. Adolescens deinde in Arnoldino et in Academiis Leidensi et Franequerana Theologiae studiis intentus in studio linguarum Orientalium et in legendis scriptoribus Graecis plus operae posuerat, quam in Latinis, et, antequam Ciceronis et optimi cuiusque lectione in usu vocabulorum et in conformatione sententiarum meliora didicerat, ad scriptores sequioris aevi delatus, copia verborum et locutionum deteriorum instructus erat. Neque in Zeelandia id egit, ut orationis habitum coloremque Romanum quaereret, rebus magis quam verbis intentus Atqui, ut vere monuit Wyttenbachius 1) »Latine scribere nemo potest nisi qui Latine cogitet. Latine autem cogitare nemo potest, nisi qui prius accurata et diligenti optimorum scriptorum lectione ingenium suum exercuerit et hac studii assiduitate memoriam multis vocabulorum milibus locupletaverit." Itaque non mirandum est ea quae scripsit prioribus annis puri sermonis Latini laude carere. Aetate provectior, quum paulo magis se diiunxisset a patribus ecclesiae, et diutius bonos Latinitatis auctores discipulis enarrasset, melius scribere, et quamquam longe aberat ab elegantia Ruhnkenii, probabili tamen oratione Latina uti coepit. Itaque in dissertatione Herodotea et in commentariis ad Diodorum et Herodotum raro offendimus vocabula et locutiones poeticas et recentiores, quae priora scripta legentibus saepius molestae sunt 2).

---

1) Cf. Mahnii liber de vita Wyttenb. p. 36.

2) Paucis exemplis reprehensionem meam muniam. In orat. laud.

Bonum oratorem fuisse certius quam carmina orationibus subiecta, in quibus saepe plus amicitiae quam veritati tribuitur, declarant iudicia Curatorum et Senatus Academiarum, quas ornavit, qui quando solennis oratio extra ordinem habenda erat, eum designare solebant. Prima talis oratio fuit, quam a d. IV Non. Maias 1726 habuit ad principem Gulielmum Carolum Henricum Frisonem, quum studiorum causa Franequeram venisset. Traiecti ter simili munere functus est habuitque et edidit tres orationes, unam in re laeta ad celebrandum natalem comitis Burani (1748), duas funebres, alteram in obitum Gulielmi IV (1752), alteram in obitum principis Annae (1759) Omnes testantur eum ab initio fuisse et perpetuo mansisse partium Nassavicarum, hac in re cum Hemsterhusio suo et plerisque Frisiis conspirantem. Longe tamen aberat a partium studio et apud viros, qui adversarias in re publica partes sequebantur, non minus carus erat quam apud principes eorumque ministros. Non quid quisque in republica sentiret, sed quantum ingenio dictis factisque rei publicae prodesset, quaerebat.

Sed quoniam illae orationes rariores sunt paucisque notae, neque a nostro argumento alienae, pauca de iis hoc loco dicenda sunt. In ea quae reliquas praecedit temporis ordine, post disertam Joannis Gulielmi Frisonis

---

improbanda sunt *gaudium interturbare*, *sedet* pro fixum est, decrevi, *comparserant*, *sunt mihi in mundo alia;* in aliis displicent *differitas* pro discrimine, *recentare*, *cognitiora*, *cognitissimum* et similia, *spissius* pro tardius, *persuasus sum*, quod in dedicatione chronici Sims. dormitanti excidisse crederem, nisi in altera editione denuo receptum fuisset. Si opus esset, ex orationibus plura exempla vocabulorum non optimae notae afferrem. Raro incidimus in locos obscuros, ut est quod legimus in orat. inaug. Traiectina, ubi collegas alloquitur: „Tametsi experimini hunc animum; neque caussam dicam, si eum indignum inveneritis, quin iure exclusus videar."

laudationem, principis adolescentis, qui decimum quintum aetatis annum nondum impleverat, animi ingeniique virtutes paulo cupidius praedicantur, ipsaque Academia pulcre cum eo loquens inducitur. Tum enumerantur eruditionis copiae, quas princeps ibi invenire et in suos usus convertere possit, excitaturque ad honestatem et ut premat vestigia magnorum virorum, quos vetus et recentior aetas tulit. Pro more illius temporis orationi finis imponitur carmine elegiaco, quod L. Santenius repetendum curavit in Deliciis poeticis 1).

Kalendis Septembribus eiusdem anni quum princeps sextum decimum natalem ageret, Wesselingius discipulum suum, qui scholas publicas de historia universali frequentabat, denuo carmine allocutus est, quod separatim typis descriptum 2) et nunc rarissimum hoc loco repetemus, ut ex hoc specimine de poetica eius facultate quodammodo iudicari possit.

Auriaci natalis adest: bona verba loquamur.
  Et veniant curis gaudia sepositis.
Tristia nunc fugiant, nec quemquam hac luce dolentem
  Adspiciam, querulos percipiamve sonos;
Transeat et sine nube dies, sine murmure coeli,
  Et placidum ventis stet mare velivolum;
Littore ludat avis, cantu suspiria mutet
  Usque memor miseri coniugis Alcyone.
Et linguis volucrum resonent virgulta canoris,
  Saltet et in pratis luxurietque pecus.
Omnibus hic veniat festus Natalis, et illi
  Plaudamus reduci terque quaterque manu.

---

1) Fasc. VI p. 131.

2) Inscribitur: In natalem sextum decimum celsissimi et serenissimi principis G. C. H. Frisonis. Infra legimus: Franequerae Excudit Henr. Halma MDCCXXVI.

Urantur pia tura focis, cumulemus odores,
  India quos dives quosque Sabaea tulit:
Fundamus Genioque merum votisque solutis
  Concipe votivas femina virque preces,
Et vigeat multos princeps Guilielmus in annos
  Dicito, sitque mei gloria prima soli:
Inbibat egregios felici pectore fontes,
  Sive Minerva tuos, seu Themis alma tuos.
Si qua opus est armis, aut, quam volo, pace beata,
  Aequiperet magnos arte in utraque uiros.
Restituatque suis felicia secla Batavis,
  Atque ex se natos viderit Auriacos.
Auguror, evenient. Viden ut crepitante favilla
  Sponte sua exurgat stridula flamma foco?
Iamque puto Aonidas lauru eontexere serta,
  Serta serenatas implicitura comas:
Et Nympham a Charisin forma praestante poliri,
  Quae sola illius digna futura toro.
Cetera quid memorem? fient cito; credite vati,
  Credite: Sic Musae nam cecinere mihi.

Hunc discipulum a facundo tanti magistri ore pependisse, quum per duos annos Franequerae studia obiret, testantur plures 1). Quid vetat proferre Io. Schraderi aliquot versus ex epicedio Gulielmi IV:

Ipsaque gratata est venienti Pallas alumno
  Weslingi solvens ora diserta sui.

---

1) Cf. locus ex oratione H. Venemae laudatus in huius Elogio p. 55 et Offerhaus in laud. fun. W. C. H. Frisonis p. 15: „Hic qua cura quave diligentia et indefesso labore a facundo Wesselingii ore pendens illam vetustatis nunciam, illam vitae magistram et virtutum speculum, rerum ante actarum memoriam inspexerit, secuta aetas satis declaravit."

Hoc duce mox regum cognoscere fata ducumque
Iuvit et historicam combibere aure fidem.

Sed non opus est aliorum testimoniis. Ipse magister, quum manibus discipuli praematura morte extincti parentaret, affirmavit his verbis: »Lubens in memoriam eius temporis locique redire soleo, quo tali dignitate et origine iuvenem toties in subselliis auscultantem vidi et ad quaesita dextre respondentem audivi; quam in rem adderem complura, nisi formidine quadam praepedirer 1)."

Anno 1734 Academiae rector erat, quum Annae regiae principi adventum cum marito in Frisiam ex officio gratularetur carmine heroico, quod felicem imitationem carminis nuptialis Catulliani (LXII) appellare audemus 2).

Tres ceterae orationes, quas indicavimus, habitae sunt in maiore basilica civitatis Rhenotraiectinae. Earum prima versatur in celebrando natali comitis Burani, qui postea rei publicae praefuit sub nomine Gulielmi V.

Orator Deo O. M. gratias agit, quod perpetuo consulebat huic reipublicae, quae plurimum debebat principibus suis, docetque quid sedula mater et bonus pater filio nuper nato daturi, quid eum quotidie docturi essent. Enumerat deinde cursim, sed apte et eleganter plures e gente Nassavica cognatisque heroes, ut hinc olim principi puero appareat suae genti hereditarium esse Batavorum studium, Batavis Nassavicorum principum amorem.

In altera lugens immaturum Gulielmi IV obitum generis antiquitatem, maiorum famam, ipsius animum et ingenium praeclarum, sinceram pietatem, in rebus agendis alacritatem, in excogitandis sagacitatem, incivium amore sibi conciliando solertiam, in iungendis amicitiis facilitatem persecutus, quantum res publica in eo amiserit,

---

1) Oratio in obitum W. C. H. Frisonis p. 22.

2) Legitur in Santenii deliciis poeticis VI p. 133 seqq.

quid a filiolo, ubi ad maturitatem pervenerit, exspectet ornate docet. Digna profecto oratio et principe et oratore, quem Franc. Burmannus in addita elegia sic allocutus est:

Denique, Weslingi, doctorum summe virorum
Et Traiectinae fama decusque scholae,
Concio quem stupuit nuperrime tota, Beato
Frisoni inferias cum tua lingua daret;
Donec apud seros celebrabitur Ille nepotes,
Tu quoque post mortem nomine notus eris.

Tertiam habuit Wesselingius die secundo mensis Martii a. 1759, estque haec oratoris, qui annum aetatis duodeseptuagesimum agebat, velut cycnea vox. Ipse in exordio fatetur se labente memoria et ore nonnihil blaeso vereri, ut personam sibi impositam pro rei amplitudine bene gerere possit; sed nec facundia ei defuit, nec, quatenus ex edita oratione coniicere licet, eorum qui audiebant exspectationem destituit. Nam docte disputavit de maioribus Annae e gente Welforum, iucunde narravit, ut a pia matre egregie educata maritum amaverit, liberos suo lacte aluerit, suis praeceptis ad supremi numinis cultum et ad disciplinarum studia erudiverit, gravissimis verbis docuit eam marito superstitem gubernatricis munere et officiis optime functam esse. Quum varias partes orationis laudare possemus, speciminis loco afferemus éa, quae leguntur p. 32 seq.: »Si vitam eius interiorem et familiarem perpendas, quid ea honestius et civilius? quam modesta in ornatu, munditia et cultu? quanta in omni vita parsimonia ac sobrietas? quo certe utroque in genere omne odiosum et exquisitum nimis vitavit, salubri et moderato contenta. Otii fugitans atque ut ingenium honestis disciplinis excoleretur, gestas variarum nationum res sollerter examinavit, utque memoriae subsidium foret, litteris consignavit. Durant commentarii, quibus

Romani populi historias Etruscorum sermone digessi.
Similem Germaniae suae non negavit operam, fata Imper
patria gentis lingua suum et liberorum in usum complex
Exstat et volumen, in quod ex Belgarum monument i
iucunda et rei publicae gubernatrici scitu necessaria,
sunt pleraque omnia, prudenter contulit additis Franc
rum dialecto variis de forma rei publicae et administran
ratione Belgarumque statu observationibus. Quae quide
iuvenis, necdum tanto curarum onere obruta, inchoa
et absolvit, aemulata quodammodo Annam Comnena
matronarum eruditissimam, Alexii Imp. filiam."

De institutione Wesselingii pauciora quam vellem mi dicere licet. In scholis publicis enarrabat historiam imp mis veterem, secutus Hor. Tursellini Historiarum epit men, quae illa aetate et diu post in omnium manib erat, sed paulatim melioribus compendiis locum cess Latini sermonis puritate et elegantia, qualem exspecta licebat a docto scriptore de Particulis linguae Latina magis commendatur, quam apta rerum dispositione e iudicio. Usi sunt tamen hoc compendio professore plures, laudanturque Perizonii, Ruhnkenii, aliorum commentarii a discipulis descripti. Supersunt quoque Wesselingii dictata 1) ad eum librum accommodata, sed ea videre mihi non contigit. In aliis scholis, item publicis, accurate legebat et interpretabatur scriptorem vel poetam Latinum, quo ex genere servatum est exemplum manu Petri Fonteinii anno 1724 et sequenti descriptum eorum, quae magister dictaverat in Suetonii vitas duas priores et in Terentii Andriam et Eunuchum 2). Ex eo apparet

1) Vid. Catalogus bibliothecae Eerdianae a. 1836 distractae sub num. 6994 et 7051 et bibl. v. cl. J. W. de Crane, Leov. 1843, sub num. 1046.

2) Liber MS servatur Amstelodami in bibliotheca Societatis teleio-baptistarum. vid Catal. p. 45.

Wesselingium hac institutionis parte non leviter functum esse, sed diligenter veterum scripta auditoribus suis explicuisse. Quem ad modum privatim eorum, qui praecipuam operam literis navabant, studia regere soleret non plane ignoramus, quum inter epistolas forte fortuna duae supersint annis 1731 et 1732 scriptae a Georgio d'Arnaud, qui priori anno Franequerae, altero Leidae studiis incumbebat. Agitur in iis de locis veterum scriptorum corruptis, quos Wesselingius ei indicarat, ut in iis corrigendis ingenium exerceret. Atque institutionis fructus in plurimis uberes exstiterunt. Nominasse satis erit Gerlacum et Theodorum Scheltingas, Gulielmum et Onnonem Z. Harenios, Joh. Stinstram, Petrum Fonteinium, Petrum Conradi, Saconem Herm. ab Idsinga 1), qui omnes plura ingenii et eruditionis monumenta reliquerunt; prae ceteris duos germanos philologos, qui praeceptoris sui memoriam in scriptis propagarunt. Alter est, quem modo nominavimus, Georgius d'Arnaud, qui Wesselingii praeceptis non pauca se debere publice professus est 2). Is natus a. 1711, quum quo tempore Wesselingius Traiectum abiret studiis Academicis in urbe patria nondum finem imposuisset, Hemsterhusii commendatione tamen non indignus visus est, qui ei succederet 3).

---

1) Cf. de Crane, bijzonderheden cet. p. 73. Halbertsma, het geslacht der van Harens, p. 76. Vriemoet, p. 827. G. de Wal, de claris Frisiae JCtis p. 450. Ex iis quae scripsit Halbertsma, l. l. p. 208, putares Onnonem Harenium e disciplina Dukeri Zwolla statim in Academiam Rheno-traiectinam migrasse, sed non solum constat eum die 15 Sept. a. 1727 albo Academiae Franequeranae nomen inscripsisse, verum etiam per annum audivisse Wesselingium. Cf. Simon Nauta, lijkrede op O. Z. v. H. p. 12 et J. M. Kemper in oratione de eo Amstelodami habita et separatim edita p. 9.

2) Lect. Graec. II, 2. p. 147.

3) Cf. de Crane, bijzonderheden etc. p. 127 seqq. Sepp, Stinstra en zijn tijd I p. 56.

Creato autem P. Burmanno ille Juris primum Lecto mox Professor factus, sed immatura morte raptus Hemsterhusium landatorem invenit, qui quantum cari simus sibi iuvenis Wesselingio deberet in eius oratio funebri declaravit 1). Alter, cui Deus ad emolumentu bonarum literarum longiorem vitam concessit, Ludovic Casparus Valckenaer die 15 m. Junii a. 1731 nom inscripsit albo studiosorum 2), nec solum in iis qu adolescens scripsit 3), sed per totam vitam in sermonib et epistolis professus est, quanti faceret Wesselingiu cui in adornanda nova Herodoti recensione non meli comes et adiutor contingere potuisset.

Hungari, Transsylvani aliique exteri, qui frequent tunc Francqueram se conferebant, non minus quam nos homines institutione tanti magistri tenebantur eiusq comitatem grato animo recordati multos etiam post ann remunerabantur numis rarioribus in sua patria reper aut libris, hac in regione vix notis, dono missis. Le mus epistolas D. Sarkan et Franc. Tsepzegi de his reb ad Wesselingium datas, et epistolam Samuelis comi Teleki Vindobonae m. Aug. 1763 scriptam, qua roga consilium veteris magistri de nova et pleniore editio poematum Jani Pannonii, quae huius hortatu consilioq suscepta a Barth. Wildio bibliopola Traiectino ad codic

---

1) „Nihil opportunius accidebat, quam quod doctorem nanciscetur Academiae tunc nostrae, nunc Traiectensis, insigne decus Petr Wesselingium, cuius ab ore tam sedulo diligenterque pependit, omnem historiae veteris regionem peragraret, Romanaeque tum l guae tum reipublicae antiquitates omnes pernosceret." T. H. ora in obitum G. Arnaldi in Hemst. et Valck. oratt. L. B. 1784 e tis, p. 168.

2) De Crane, opusc. laud. p. 73.

3) Vid. animadv. ad Ammonium, p. 12 et 171. adnot. ad Eur Phoen v. 216.

MSS. et editiones superiores prodiit Trai. ad Rhenum a. 1784, 2 voll.

Multo plenius agi potest de alia re, quae a professore non exigitur quidem, sed exspectatur, ut ingenii doctrinaeque copias scriptis suis ad plures pertinere velit. Neque enim Wesselingius segnis habendus est, propterea quod non festinavit editionem libri, quem velut primum fructum lucubrationum suarum doctorum hominum iudicio obtulit. Nam tricesimum sextum agebat annum, quum Observationum variarum libros duo, discipulo suo Principi inscriptos et carmine elegiaco commendatos, Amstelodami apud Wetstenios vulgaret. Sed varia et multiplex doctrina antiquitatis Hebraeae, Graecae, Romanae, ingeniosae disputationes de locis dubiis ex historia, coniecturae et emendationes acutae egregie demonstrant non esse laborem intra breve tempus susceptum et perfectum. Molestum est omnia et singula recensere, quae in hoc libro placent neque necessarium, quum liber nondum ex philologorum manibus sit excussus. In crisi verborum imprimis versantur libri primi capita 10, 16, 18, 20, libri secundi 13, 19, 23, 28, 30, pluresque loci e Gellii Noctibus Atticis et Vitruvii opere de architectura partim ope codicum Franeq., Aeliani, Dionis Chrysostomi sic ibi corriguntur, ut sequentes editores non dubitaverint illas correctiones in verborum ordinem recipere. In magno numero esse quoque coniecturas minus felices, observationes non satis limatas non est mirandum. In primo capite libri primi, quod etiam ob orationem salebrosam notari debet, verba e Platonis Menexeno p. 243 C. de Atheniensibus in pugna ad Arginusas e mari non sublatis, *οὐκ ἀναιρεθέντες ἐκ τῆς θαλάττης κεῖνται ἐνθάδε*, partim male interpretatus est, partim falsa coniectura, ου ante *κεῖνται* inserto, temptavit, merito propterea

reprehensus a Iacobo Elsnero [1]. Et quoniam huic mentionem feci, illud quoque addam eundem paulo certiu etiam quam a Wesselingio factum erat in I, 21 expli cuisse sententiam quaestionis *τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ;* d doctrina quae aditum patefecit ad Jesum [2], ipsumque Wes selingium postea in Sacrarum observationum cap. 1 veri rem interpretationem petivisse ex Eusebio, qui scrib hoc voluisse Iudaeos ex Iacobo scire *τίνα περὶ τοῦ Χριστ ἔχοι δόξαν*. Tertium, in quo Elsnerus a Wesselingio dis sentit, spectat ad vocabulum Hebraicum in Deuter. 26, quod ille II, 3 *erronem* interpretatus erat, hic *perditu* vel *periturum* indicare affirmat. Hanc quaestionem lit rarum Semiticarum peritis diiudicandam relinquentes laudamus Luciani editores, quod non obtemperaveru Wesselingio in I, 14 muscas duobus locis pro muribu *μυιῶν πλῆθος* et *ἀγέλας* pro *μυῶν* tuenti. Disputatione quoque II, 15 institutam de tempore et occasione itineri Brundisini tam lepide ab Horatio narrati in Satira quin libri primi, speciosam magis quam veram esse sic demon stravit C. Kirchner in Quaestionibus Horatianis Lipsiae 1834 editis, cap IV, ut hunc ducem quam illum seq tutius esse videatur.

Insignem veteris historiae cognitionem et iudiciu sincerum libellus pluribus locis probat. Ut e multis pauc tangamus, legat mihi aliquis quae I, 8 disputantur d principibus civitatis et ordinis equestris, II, 11 de M Scauri accusationibus, I, 26 de erroribus veterum histori corum, I, 28 et II, 18 quaestiones chronologicas, II, egregiam disputationem de Marcellis, II, 4, 5, 8, 11 16, 18, 21, 26 de variis locis historiae et antiquitati Romanae. Nihil de laudibus scriptoris, qui tot bene e

1) In Schediasmate Crit. Berol. 1744. cap. XII p. 115—121.
2) Ibid. p. 121—123.

prudenter docuit, detrahimus, quando monemus quaestionem de supplicationibus multorum dierum non absolvi iis, quae legimus I, 6; in disputatione de L. Statio Murco Imperatore non debuisse negligi epistolam C. Cassii inter Ciceronis ad Fam. XII, 11; perperam sublatum videri errorem in Livii XXIV, 49 de aetate Masinissae latentem I, 29, ubi non ut ille volebat septem decem in viginti quinque, sed XVII in XXVII mutandum esse et vera computatio docet et ipsa erroris tollendi lenitas paene clamat, qui inde ortus est, quod librarius numeri denarii notam semel posuit, quum bis esset scribenda.

Merito librum laudarunt Io. Clericus in Bibliotheca sua 1) et nescio quis V. D. in Actis eruditorum Lips. 1728 p. 33 seqq., uterque praeter ingenium et doctrinam praedicans scriptoris humanitatem et modestiam, quibus virtutibus se dignum Lamberti Bosii discipulum prodidit. Ut in praefatione scribit libere dissensum ab aliis viris doctis declarat procul ab omni cavillatione et iniuria, non aegre ferens si alius veritatis studio ductus in alia omnia iret. Itaque Elsnero comiter a se dissentienti minime succensuit, et quum postea in interpretatione vocis Graecae ab eo discreparet, appellavit tamen »egregia pietate et eruditione virum" 2). Sed de hac eius virtute alio loco plura dicemus.

Proximum lucubrationum suarum fructum esse voluit editionem Chronici Simsoniani, quae anno 1728 typographo tradita initio sequentis prodiit cum animadversionibus Wesselingii. Nam opus multi laboris, quo Ed. Simsonius Anglus medio saeculo decimo septimo historiam universalem a mundo creato ad annum LXX aerae Christianae e scriptoribus codicis sacri et profanis contexue-

1) Bibl. ancienne et moderne T. XXVIII p. 228 ss. et p. 299 ss. cf. quoque Strodtmann l. l. p. 891—893.

2) Diss. Herod p. 207.

rat, frustra saepe quaerebatur et dignum erat, quo
multorum manibus tereretur. Itaque Wesselingius facil
et libenter novam operis recensionem recepit, in qu
breviter errores scriptoris correxit et ubi fieri potera
recte scripta e novis vel scriptori ignotis fontibus con
firmavit. Multae novi editoris adnotationes versantur i
tempore definiendo; omnes eruditionis copias, iudic
sanitatem demonstrant, et ut vere scriptum est a cer
sore in Actis eruditorum 1) »plus soliditatis, quam moli
habent." Liber tot invenit emptores, ut anno 175
typis recudi deberet. Ex comparatione utriusque edition
a nobis facta vidimus Wesselingium nihil mutasse, pe
pauca eaque leviora adnotationibus suis adiecisse 2).

Historiae veteris studium diligentiore investigation
monumentorum et linguarum, prudenti dubitatione d
fide auctorum, acutius inquirendo in causas rerum
eventus adeo mutatum est, ut nemo hodie sit, qui e Sim
sonii chronico eam discere velit, perpauci qui libru
evolvant. Qui tamen inspiciunt nec libri forma et mol
deterrentur, mecum fatebuntur in Wesselingii brevissimis adnotationibus inveniri, quae ne hodie quidem utilitat
careant, velut ut e multis pauca apponamus quae de sacrificiis humanis (p. 97), de synchronismo iudicum (p. 218
et 338), de tempore eversi Assyriorum imperii (p. 459)
de Cyri pueritia (p. 601), de dubia fide narrationis d
adoratione Philippi Macedonis apud Athenienses (p. 928)
de Reguli supplicio (p. 1166), de curru solis apud Dionem
(p. 1532), de solis defectu, qui tempore Christi morientis
fuisse dicitur (p. 1622), scripta sunt. Nonnunquam quoque loci veterum scriptorum explicantur et emendantur 3).

1) l.l. 1729 p. 428.

2) Cf. p. 114, 624, 684, 764, 765, 1043, 1158, utriusque editionis. Nam paginae sibi respondent.

3) Cf. p. 170, 310, 406, 584, 1147, 1408, ubi inscriptio emendatur

Anno 1731 alterum specimen criticum edidit, quod modeste vocavit Probabilia. Liber varia eruditione refertus plures continet emendationes certas, et, ut utamur Io. Alberti verbis, Wesselingius eo probavit insignem se polyhistorem. Fere tertia pars capitum versatur in quaestione de vera scriptura Euang. Ioh. I, 1. Moverat eam Samuel Crellius Socinianus, qui sub ficto L. M. Artemonii nomine Londini 1726 vulgarat Adnotationes in initium Euang. Ioh, quibus studuit probare legendum esse, καὶ Θεοῦ (vulgo Θεὸς) ἦν ὁ λόγος. Wesselingius docte tuetur vulgarem scripturam, sed melius consuluisset lectoribus, si disiecta membra disputationis in unum collegisset. Post eum in hanc arenam descendit Herm. Venema. Is tres disputationes criticas contra Artemonium scripsit annoque 1735 Leovardiae edidit, in quibus maxime hoc egit, ut patrum de Christi divinitate sententias colligeret et Socinianis negantibus opponeret.

In reliqua Probabilium parte tam res antiqui aevi illustrantur, quam loci scriptorum veterum et medii aevi examinantur et saepius praeclare corriguntur. In hoc genere imprimis se commendant correctiones Euripidis ex Hesychio, huius ex illius fabulis in cap. 5, opera posita in Eusebii Onomastico urbium et locorum emendando in c. 16 et 25, quae ut disquisitio de variis locis iuris Romani et Graeco-Romani in c. 13 in similibus rebus occupata, ostendit scriptorem unum omnium aptissimum edendis Itinerariis, quae ex antiquitate supersunt, disputatio de peroratione hamartigeniae Prudentii in cap. 22, acerrima dubitatio de fide fragmentorum, quae Pighius et Dodwellus tanquam reliquias actorum diurnorum reipublicae Romanae protulerant in c. 39. Ante Wesselingium solus Th. Reinesius actis illis fidem negarat, nec post Wesselingium defuerunt qui genuina esse defenderent; plerisque tamen ille et Victor Clericus cau-

sam suam obtinuisse videntur, quibus me plane assentiri fateor.

Ad alterum genus pertinent disputatio de tubi optici usu veteribus ignoto in cap. 11, et de Frisiorum terrae antiquissimis regionibus in c. 38, quae prodit insignem cognitionem scriptorum medii aevi et diligens studium rerum Frisicarum, qua eum excelluisse testis fide dignus declaravit [1]).

Wesselingius non semper rem acu tangit, sed nonnunquam meram suspicionem profert, ut in cap. 4. de Porphyrii nomine Bataneotes, et, ubi errat, errorem solet redimere veris observationibus Exemplo id quod volo demonstrabo. In cap. 29 felicitas ingenii eum destituit in corrigendis quattuor fragmentis Pherecratis et Menandri, in quibus res melius cessit Porsono et Meinekio [2]), sed acute correxit Heracliti dictum a Musonio laudatum et egregie docuit locum Dionis Cassii a recentiore Graeculo esse interpolatum, quem fuisse Brunichium nescio quem nuper demonstravit Lud. Dindorfius [3]), inventi laudem Wesselingio tribuens; nec minus acute alios Suidae errores correxit. Ceterum in hoc libro non minor est scriptoris modestia et in dissensu ab aliis indicando clementia, quam in Observationum volumine. Quo nomine non minus quam ob eruditionem variam et multiplicem laudatur a censore aequali [4]).

1) „De Heer Prof. Wesseling heeft ook eene groote kennis der Friesche zaken alhier verkregen." Haec legimus in epist. Onn. Z. Harenii ad. V. Cl. te Water, edita in H. G. Tijdemanni Harenianis, p. 12.

2) Cf. Meinekius in fragm. comic. Gr. II, 1 p. 286. IV p. 215. Porsoni Advers. p. 294. Misc p. 184 ed. sec.

3) In diss. de interpolationibus Dionis Cassii, quae legitur in Nov. Ann. Philol. Vol. CI. p. 749 seqq.

4) Bibl. raisonnée des ouvrages des savans de l'Europe T. VIII P. 1 p. 77—101.

Propter argumenti similitudinem hic mentio facienda est nonnullarum commentationum, quae a Wesselingio non addito nomine suo oblatae sunt viris doctis, qui Amstelodami, Bremae, Jenae opuscula literaria multorum coniuncta edebant. Temporis ordinem secutis primum nobis memoranda est epistola C. Junii Patrophili ad Gratianum de S. Bavone, inserta Miscellaneis observationibus a P. Burmanno et J. Ph. d'Orvillio editis Vol. IV p. 125—131. De auctore res certa est; nam legimus in epistola inedita d'Orvillii eo tempore ad nostrum data: »En Miscellanea, quibus tuae in Basilium animadversiones ornamento non mediocri sunt." Quamquam autem addit: »nemini has a te profectas esse indicabo", Gratianus tamen, qui erat ipse Alberti, in Hesychio illustrando tunc occupatus non statim intellexit 1), sed postea cognovit esse Wesselingii eique palam tribuit in suis ad Hesychium adnotationibus 2). Neque erat, cur Wesselingius larvam sibi detractam doleret. Epistola enim illa accurate demonstravit multas Hesychii glossas vix posse intelligi sine comparatione commentarii veteris in Esaiam, qui sub nomine Basilii Magni circumfertur et quum falso huic tribuatur tamen scriptoris est aetate non multum inferioris. Neque deinde Hesychium valere iussit, sed multa egregie observavit ad Lexicon illustrandum, quae cum amicissimo Albertio communicavit. Cum hoc Theologorum literatissimo, qui ex eadem Lamberti Bosii et Campegii Vitringae disclipina profectus erat et ingenii, morum, studiorum similitudine quasi alter Wesselingius, erat ei summa necessitudo et frequens epistolarum commercium. Supersunt XXIV Albertii epistolae ad eum, in

---

1) Id apparet ex responso Gratiani Patrophilo dato in op. laud. IV. p. 262 seqq.

2) Vid. T. I. p. 84, 791, 849, aliisque locis.

quibus maxime agitur de Hesychio, Wesselingii sententia rogatur de glossis corruptis, eiusdem iudicio subiiciuntur editoris coniecturae, laudatur auxilium, quem ad modum in adnotationibus editis saepius factum est [1].

Vix minus certum est Wesselingio tribuendam esse observationem de Heracliteo αὔη ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη, quae literis T. P. A. signata prodiit in eodem opere, Vol V. Tom III p 42—48. Si enim comparamus, quae in Probabilium capite XXIX p. 252 et sequenti de illo dicto prolata sunt, hanc disputationem cum magna probabilitate nostro auctori adscribi posse censemus, qui quod ibi breviter fecit, h. l. pluribus persequitur ostendens Heracliti dictum saepius a scriptoribus Graecis laudatum esse, sed a librariis misere corruptum. Atque C. G. Heijnius in disputatione de sententia illius placiti non dubitanter Wesselingii doctam commentationem laudavit [2]. Quod si recte suspicati sumus, non est cur negemus eiusdem duas esse disputationes in eodem opere editas iisdemque literis notatas. In prima agitur de Carolino diplomate, quo Hollandiae comitatus Theodorico I perhibetur datus [3]. Ex ipsis diplomatis verbis fraus in subscriptione commissa aperitur, et illud non esse Caroli Calvi, ut perhibetur, sed Caroli Simplicis, nec datum anno octingentesimo sexagesimo tertio, sed nongentesimo vicesimo tertio demonstratur. Quodsi talis disputatio a Wesselingii studiis aliena videtur alicui, cogitet velim eum revera fuisse polyhistorem, et in capite penultimo Probabilium tantam rerum nostrarum antiquioris aevi scientiam tantumque studium rei diplomaticae prodidisse, ut concedi debeat hanc quoque disputationem non temere ei tribuendam videri. Nec

---

1) Cf. Hesychii Lexicon T. I. p. 151, 197, 246, 424, et saepius
2) Opusc. Acad Vol. III. p. 96.
3) Misc Obss. Vol. IV. T. II p. 265—270.

postea eiusmodi quaestiones repudiavit. Nam amabat alteram suam patriam et libertatem Batavam eiusque amoris passim testimonia suis scriptis inspersit, velut unum elegantissimum in adnotatione ad Diodorum 1), et suum esse putavit eius historiam, ubi posset, illustrare. Huius rei argumentum depromam ex epistola, quam exeunte anno 1747 Vonckio misit, in qua legimus: »Occupat me cura Dorestadi, urbis ut meministi olim amplae et celebris, cuius si apud vos numi a Francorum regibus cusi lateant, fac quaeso indicium. Videbo, eorum copia si impetrari possit, ecquid de oppidi vetere gloria certo constitui queat. At hoc tibi serva: nam intra consilium omne illud huc usque stat."

Altera disputatio magis etiam coniuncta est cum eius deliciis geographicis et numismaticis. Inscribitur de Colonia Cabe 2), quam neque in Africa neque in Gallia, ut aliis placuerat, sed in ulteriore Hispania sitam fuisse demonstrat. Tertia de colonia Lepti et eius numis 3), in subscriptione habens literas J. P. T. A. vix ad alium auctorem referri potest videturque significari his verbis epistolae postridie Kal. Jan. 1736 a D'Orvillio ad nostrum datae: »Dissertationem tuam Miscellaneis insertam vidibis." Certe in voluminis septimi tomo primo nihil est, quorsum ea referri possint. Verum non opus est huic rei insistere; pro suo quisque ingenio coniecturae meae addat adt demat fidem. Ad Wesselingii gloriam brevis disputatio nihil adiicit.

Sacrarum observationum specimen, quod legitur in symbolis literariis Bremae editis 4), Wesselingium habere

1) Ad. lib. XX. 8 T. II. p. 411 b.
2) Op. l. Vol. V. tom. III. p. 76—78.
3) Op. l. Vol. VI. T. III. p. 606—610.
4) Tom. III. P. 2 p. 301—334.

auctorem testantur eius discipulus R. Reynen in disp
tatione »docte et operose scripta" et anno 1753 s
Wesselingio praeside defensa de Asiarchis p. 70, et c
fuerat eius collega E. L. Vriemoet [1]), probantque arg
mentum et orationis color. Specimen plus dat, qu
titulus pollicetur. Nam praeter locos e libris veteris
novi Testamenti et e scriptis patrum Christianorum,
eo plurimi loci scriptorum et poetarum veterum Graecor
illustrantur. In capite primo scriptor rursus id agit, qu
egerat in Probabilium capite VII, et quod modesto ei
et circumspecto iudicio erat aptissimum, ut varios lo
immerito aliis suspectos defenderet. In secundo ἀλυτάρ
Antiochiae ludos publicos apparavisse docet et quaestion
movet de materia clavorum, quibus Jesus cruci
affixus. In sequenti capite multos versus Hildeberto
Marbodo tributos ex antiquiore fonte deductos esse ost
dit. Sequitur disputatio de locutione ἀνατρέπειν τ
τράπεζαν, τὸν βωμόν, τὰς τιμάς, pro qua male saep
legitur ἀναστρέφειν. Deinde certa emendatio II Macc
11, 5 e codice Alexandrino proponitur, qui praebet πέ
σχοίνους pro πέντε σταδίους, Crinagorae epigramma
plicatur et geographica quaedam corriguntur, velut
Syncelli relatione de loco natali Severi Alexandri
inepto ἐν Ἄρκαις γῆς παρ' ἄλλου τεχθεὶς Φοινί
praeclare emendatur: ἐν Ἄρκαις τῆς παράλου τ. Φ.
capite sexto quaeritur utrum Claudii Taurinensis apo
gia consarcinata sit e pannis libri S. Agobardi con
imagines, an hic ex illa conflatus, et secundum Claudi
pronuntiatur. Ultimum caput varia continet ad codic
sacrum pertinentia, in eoque idoneis exemplis demonstra
multas locutiones, quas omnes admirantur apud Sop
clem et Platonem, eadem vi inveniri apud Hebraeos

1) In Ath. Fris. p. 793.

Graecistas. — Descripsimus summatim quid illa commentatione contineatur, nec dubitamus affirmare Wesselingii eruditionem, sagacitatem et circumspectum iudicium ex hac quoque opella elucere.

Quum anno 1753 honoris causa societati Latinae Ienensi adscriptus esset, gratiam retulit missa de veterum medicis ocularіis observatione, quae Acta illius societatis ornat 1). In eo scripto, ut Walchii verbis in praefatione positis utamur »pro more suo, id est maximo reconditae eruditionis ac doctrinae liberalis apparatu multa veterum scriptorum effata simulque nonnullas apud Muratorium inscriptiones tam feliciter emendat, quam egregie illustrat." Wesselingius tangit tria sigilla a Scipione Maffeio et a Muratorio edita, plura alias tractaturus. Sed etsi editor cum suo tum sociorum nomine eum saepius rogavit, ut alteram de medicis ocularіis observationem mitteret, Wesselingius in Herodoto tum occupatus munerumque Academicorum negotiis distractus telam non pertexuit, quod eo magis dolendum est, quia prae multis potuisset eam rem obscuriorem luce donare. Numerus talium sigillorum illo tempore parvus deinde insigniter auctus multos ad scribendum impulit, e quibus unum citasse Grotefendium satis sit. Is Wesselingii supplementa et explicationes siglarum laudavit et probavit, et unicum errorem in Hypni collyrio ortum esse e pravo Muratorii apographo declaravit 2).

Ab hac digressione revertimur ad res Wesselingii temporis ordine narrandas.

1) Vol. III. p. 48—55.

2) Die Stempel der römischen Augenärzte, gesammelt und erklärt von Dr. C. L. Grotefend. Hannov. 1867. vid. p. 29, 64, 113 seq. Pro AD. CL. i. e. ad claritatem Murat. dederat AD. CV., unde Wesselingius suspicatus est eo designari *ad caput* vel *ad cicatrices veteres*.

Franc. Oudendorpius, tunc rector scholae Harlemensis, post editam Pharsaliam novam parans Frontini Strategematum recensionem et interpretationem, quum undique subsidia quaereret, adiit quoque per literas Wesselingium, a quo multas accepit observationes et coniecturas in literis anno undetricesimo et tricesimo scriptis, hodie superstitibus. Sequenti anno Frontinus Lugduni Batavorum typis descriptus est, passimque in adnotationibus editoris Wesselingium laudatum invenimus 1). Iisdem ex literis iuvat depromere duas Wesselingii coniecturas in Lucani carmine factas et Oudendorpii iudicio permissas, quas adhuc ignotas esse credimus. Altera pertinet ad libri VII. v. 335 ubi H. Grotius, quem sequitur Bentleius, subiecti defectum sustulit *locasset* in *locasse* mutato, sed dubitamus an non melior sit Wesselingii suspicio pro *funesto* scribendum esse *Fors isto*. In eiusdem libri v. 675 et seq sententiam intricatam expedire studuit verbis sic correctis:

Sed tu quoque, coniux,
Caussa fugae; vult, usque tibi fatisque negatum,
Te praesente mori.

Cum J. Ph. d'Orvillio, qui in diuturnis per varias Europae regiones susceptis peregrinationibus plurimas sibi paraverat, quibus viros antiquitatis amantes iuvare et posset et vellet, statim post eius in patriam reditum Wesselingius per epistolas de communibus literis agere coepit. Huius epistolae ad illum fortasse in Britannia servantur; d'Orvillii supersunt Leidae plures intra annos 1730 et 1748 ad Wesselingium datae. Antiquissimam circa Idus Februarias anni 1730 scriptam quum legerem

1) Cff. adnott. ad I, 3,7. 11,6. II, 1,18. 3,4. 4,12. 5,10. 5,18. 9,6. 11,4. III, 5,1. IV, 1,36. 3,15 (ubi vir doctus, qui *provinciam* scribi volebat, est Wesselingius) 2,9. 7,33.

haerebam in verbis ultimis: »Vale, vir Clarissime et doctissime, et spreto serpentis Delphici sibilo Musis feliciter litare perge". Cognovi deinde e Wesselingii epistola Nonis Martiis eiusdem anni ad Fr. Oudendorpium missa idem illi accidisse, sed aenigma solutum esse literis Oudendorpii, qui Kalendis Martiis amicum certiorem fecerat, quid rei esset »Male sit, sic ille, Scrodero isti, qui horrendo libello et diro furore nuper in te et Clarissimum Dukerum invectus est; quod factum, qui humanitatis non expertes sunt, abominantur omnes. Sed quae tantarum irarum causae?" Quibus literis respondens Wesselingius rogavit amicum, ut eum libellum sibi mitteret legendum, negans Schroderum a se facto aut verbo laesum esse »nisi si id laedere putet, profiteri non placere maledictis ita incessere viros egregios, ut ille in Senecae sui praefatione fecit. Non diffitebor me hoc inter amicos declarasse. — Maledictis si certare voluerit, erit fortasse, quando quae noluerit, audiet. Sed exspectabo libellum." Ab utroque nomen hominis male scriptum est; nam illa non spectant ad Ger. Schroderum Leidensem 1), sed sermo est de Io. Casp. Schroedero, scholae Delphensis Rectore, eiusque Notarum ad Senecae tragoedias vindiciis a mendaciis et calumniis alicuius ex editoribus Actorum Lipsiensium, paulo ante editis. Quem librum Dukerus tam aegre tulit, ut in praefatione sui Thucydidis sex paginas in eo refutando et scriptore vehementer perstringendo perderet. Longe aliter et melius fecit Wesselingius, conviciis silentium opponens et ignobilem adversarium spernens. Quum enim librum Oudendorpio remitteret, haec adscripsit a. d. IX Kal. April.: »Legi mordacem

1) De hoc, quem Saxius in Onom. VI. p. 504. perperam Schroederum vocat, videatur, si tanti est, Boumanni hist. Acad. Harderovicenae T. II. p. 158 seqq. et 241 seqq.

Schroderi libellum satisque mirari non potui ferox « inhumanum hominis ingenium. Putavit egregiam se laude relaturum, si uno verbo Observationes meas iugularet mihique inscitiam, oscitantiam, καινοπραγίαν et nesc quid non obiiceret. Utrum voti damnatus sit ipse vid« rit. Ego id perspexisse videor, si homo ea, quae crim natur, potuisset manifestis rerum documentis ostender non fuisse mihi chartaeque parsurum. Ferre non pote uritque eum vel maxime libellum illum a Lipsiensibu fuisse laudatum et mecum propterea praevaricatos signi ficat. Ego vero neque amicum neque inimicum, quoc quidem sciam, habeo Lipsiae, nec peiorem existimassem si inibi damnatus esset. Quae scripsi vera putavi et mea. Si erravi, comiter ducendus eram in viam. Convicia censoris vitio creati parum nocent. Habeat secum maledicta servetque sepulcro. Quamquam vereri iam incipio ne, si furere ita perrexerit, pro cerrito eum omnes pueri circumferant, propediemque e schola εἰς γραικὸν Ἄλφα immigrare debeat; sed hominem irato suo genio permitto venioque ad literas tuas, cet." Rei levioris ideo mentionem faciendam putavi, quod egregie probat animum viri lenem et a rixis contentionibusque plane alienum. Nullius unqnam convicia eius tranquillitatem commoverunt, suaeque sibi virtutis conscius noluit protervis proterviam opponere, sed causam suam aliorum iudicio et aequitati commisit. Itaque, quod illo saeculo rarum erat, ad senectutem pervenit fere omnibus carus et acceptus, et praeter istum Schroederum nullum habuit laudis virtutisque obtrectatorem, nisi forte tam tectum, vix ut ab eo petitus videretur.

Anno saeculi duodevicesimi tricesimo primo bene meritus est de historia regionis, quae ipsum comiter exceperat, tam antiquiore, quam aequali. Nam ei debemus primam et solam editionem commentarii, quem Io. Carolus

scripserat de rebus Casparis a Robles Billaei in Frisia gestis. Wesselingius librum inscripsit Duconi Martena a Burmania et in praefatione nonnulla narravit de scriptore, de opere et de codice manuscripto, unde editum est. Gratissimum fuit donum civibus suis. Nam etsi Carolus non sine ira in haereticos nec sine studio Hispanorum scripsit et suam narrationem finibus unius anni et paucorum mensium circumscripsit, agebatur de hoste generoso, de quo, ut Jac. Wallius tam eleganter quam vere scripsit 1), Frisia loquetur, dum aggeres stabunt, quos Gaspar Frisiae praefectus Oceano, qua eluvionem minabatur, obiecit. Maiorem etiam gratiam a Frisiis iniit, quum Kal. Novembribus eiusdem anni Sicconis a Goslinga paulo ante mortui memoriam oratione funebri recoleret. Est illa oratio simplex narratio, qualis ille vir vere magnus, cui Academia Franequerana, Frisia et tota respublica multum debebat, in vita privata et publica fuerit. In scribenda oratione usus est commentariis rerum gestarum, quos Sicco composuerat, a Tiberio Hemsterhusio descriptis, qui ante paucos annos cura societatis Frisiacae in lucem sunt deprompti 2), et vitam ita narravit, ut qui postea eam scripserunt, illa oratione velut fonte uterentur 3). Nollem ab his praetermissa esse, quae p. 25 et 37 memoriae tradita sunt, Sicconem, quando in castris esset publica auctoritate Ephori munere fungens, Polybii historias assidue lectitasse, atque in pace et otio Polybio adiunxisse Horatium. Nam utile erat nec supervacaneum hoc in memoriam nostrorum hominum revocare. Quotum-

1) In dedicatione libri secundi Heroicorum, p. 67 editionis Poematum Antverpiensis a. 1699.

2) Mémoires relatifs à la guerre de succession de Sicco van Goslinga, publiés par U. A. Evertsz et G. H. M. Delprat, Leeuwarden 1857.

3) Velut J. van Leeuwen in opere de vrije Fries v. III. p. 277 seqq.

quemque enim nunc invenias in hac gente virum nataliu splendore et civili scientia nobilem, qui horas a negoti publicis vacuas veterum literarum studiis impendat, qui intelligat ex his et delectationem liberalissimam et fruct uberrimos peti ad percipiendam colendamque virtutem. In carminibus orationi subiectis ultimum est elegia orat-ris, quam Santenius Musarum Latinarun amantibus den obtulit in Deliciis poeticis 1).

Varii loci in scriptis criticis, quae paulo ante descr simus, ostendunt Wesselingium non fuisse hospitem literis Hebraeis et Arabicis. Itaque non miramur eum r gatu Curatorum per aliquot menses hanc provincia tenuisse, quoad Vriemoetius succederet in locum Sch tensii, qui Academiam Franequeranam cum Leidensi co mutarat, ut apparet e duabus ipsius epistolis initio an 1730 ad Oudendorpium missis. Quum illis scriptis e miam peritiam librorum sacrorum, linguarum Orientali et antiquitatis ecclesiasticae probavisset, atque in arg mento orationis eligendo quam habuit a. 1733 quu magistratum academicum deponeret, de vitiis et defec bus historiae ecclesiasticae, ostendisset animum ab il rebus minime alienum, non nemini haud indignus vis est, cui Theologiae professio in Academia Leidensi offe retur. Certe scimus ex epistola Fr. Fabricii scripta 27 Sept. 1733 ea de re actum esse eumque nomi viri Amplissimi rogatum velletne et posset illam cathedra ornare. Quid Wesselingius responderit ignoramus pa vique refert scire, quoniam ex alteris eiusdem Theolo literis apparet consilium fuisse mutatum. Suspicari tame licet Wesselingio provinciam non placuisse.

Non diu post Traiectini magistratus eum suae Acad miae adiungere conati sunt. Primam eius rei mentione

---

1) Fasc. VIII. p. 441 seqq.

invenimus in epistola F. Oudendorpii, d. 21 Aprilis sequentis anni Harlemo data, ubi legimus: »Exortus hic est rumor tua de vocatione ad Ultraiectinam cathedram. Eam tibi ex animo gratulor et inlustriorem pro insignibus meritis sedem tibi destinatam cum omnibus bonis doctisque laetor." Nec vanum fuisse rumorem arguunt ea, quae Io. Alberti pridie Idus Maias scripsit: »Primas ad te literas gratulatorias fore putabam, cum nupera vocationis tuae Ultraiectinae fama me feriret neque modice exhilararet. Ast aliter tibi visum fuit. Et tamen ex animo oblatos tibi honores gratulor eorumque testimonium honorificum, aucta nempe stipendia. Neque sic, si quid auguror, perpetuo te connubio habebunt Franequeranae Musae." Quum enim C. A. Dukerus initio anni 1734 valetudinis causa honestam missionem peteret, nemo dignior visus est, qui ei succederet, quam Wesselingius, quem magistratus Traiectini decreto die 12 mensis Aprilis facto honorifice, sed conditionibus minime lautis crearunt Prof. historiarum, eloquentiae et linguae Graecae. At ille tenui mille ducentorum fl. pretio annuo non est permotus, ut ad eos veniret, meritoque censuit muneris dignitatem non debere convelli imminuto stipendio.

Itaque Frisia tunc suum Wesselingium retinuit, sed iam sequenti anno Albertii augurium eventu comprobatum est. Sed antequam Frisiae valedixit, absolvit opus summi laboris, cui et suscipiendo et perficiendo neminem potuisse inveniri magis idoneum meliusque paratum defendimus Nam ut illi indices, quibus nomina et intervalla locorum continentur, necessaria sunt geographiae et historiae veteris auxilia, sine quibus identidem errandum est, sic opus erat editore immensam doctrinae copiam cum magna sagacitate et prudentia copulante, ut ne lectores deciperentur erroribus describentium, qui nullam in rem facilius irrepunt quam in nomina peregrina et in

notas numerales. Wesselingius quum in scholis historicis saepius expertus esset vetera itineraria edita esse rariora, neque editores ita rem perfecisse, ut nihil alii faciendum relinquerent, manum operi admovit, praeclara subsidia novae editionis paravit, et quamvis destitutus usu codicum Mstorum, qui Vindobonae, Florentiae, Romae, Parisiis, Madriti servantur, librum composuit, quem recte dixeris κτῆμα ἐς ἀεί.

Liber dedicatus principi Arausionensi et curatoribus Academiae Frisiorum continet doctam editoris praefationem, in qua primum agitur de aetate utriusque itinerarii, quod Antonini Augusti nomen prae se fert, eaque refertur ad saeculum IV p. C., deinde de editionibus A. Schotto posterioribus et de subsidiis, quae editor a multis viris clarissimis acceperat. Sequuntur Itinerarium provinciarum (p. 1—486) et maritimum (p. 487—529) cum plurimis priorum editorum et Wesselingii adnotationibus, qui ad calcem Io. Annii Viterbiensis fraudem in itinerariis fragmentis fingendis commissam certis argumentis demonstravit.

His adiicitur Itinerarium, quod dicitur Hierosolymitanum (p. 549—617), ab A. Schotto anno 1600 sine adnotatione e Pithoeana editione principe repetitum, nunc amplo commentario editoris instructum, qui in praevia dissertatione inquisivit in causas, quae post Constantini tempora homines Europaeos impulerint ad visendam terram sacram, et quae subsidia editioni ornandae a Fr. Oudendorpio et Ier. Marklando accepisset, narravit. Tertia pars libri est Hieroclis συνέκδημος i. e. itineris comes cum prolegomenis et commentario editoris, qui libellum sub Iustiniano sed ante Belisarii consulatum scriptum esse integrumque sed a scribis male habitum ad nos pervenisse, neque adnumerandum esse Notitiis ecclesiasticis ostendit (p. 621—734).

Quum singulae fere paginae stupendam Wesselingii eruditionem testentur, qui non solos scriptores Graecos et Latinos, sed Acta conciliorum et Sanctorum et plurimos scriptores medii aevi et recentiores ad partes vocat, et saepe lumen petit ex inscriptionibus et e numis vel editis, vel nondum ab aliis descriptis, nemo a nobis postulabit, ut libri virtutes singulatim persequamur. Secuti praeceptum Iurisconsulti veteris, quod fieri possit per pauca, non debere fieri per plura, paucis exemplis indicatis, ex quibus de operis praestantia existimari possit, iudicium de universo libro cuilibet perito permittemus.

Me iudice inter plurima, quae Wesselingius in adnotationibus ad Itineraria vetera praeclare observavit, non ultimum locum tenent quae leguntur p. 151 et 719 de urbe Gaza, ubi locus ex Actis Apostolorum 8, 26 explicatur et inscriptio vetus feliciter emendatur; quae scripta sunt p. 368 ad explicanda verba *caput Germaniarum*, quae male ad Lugdunum, peius etiam ad Argentoratum referebantur; quae de monte Golgotha et de cruce ibi inventa p. 593, de Thebarum historia sub Christianis p. 645, de vico Adonidos in Phrygia et de cognomine Dei Luni Asceno p 669, de loco, ubi Iacobus apostolus sit sepultus p. 732 disputantur. Magnum operis ornamentum censemus ingeniosas coniecturas et bonas correctiones inscriptionum et scriptorum, quarum non semper critici rationem habuerunt. Ex hoc genere citabimus, quae p. 68 de Gratii cyneg. v. 507, p. 327 de Xenophontis Hell. V, 4, 50 emendando, p. 579 de loco Dionis Chrysostomi explicando 1), p. 611 de vera scriptura in Hor. Sat. I, 5, 51, p. 667 de dubio nomine *Tyaneius* in Ovidii Met.

---

1) Illa adnotatio fugit Jac. Geelium, qui lectores eo debuerat ablegare in adnot. ad p. 394 c. Dionis in commentario eius Olympico addito p. 306.

VIII, 719, denique p. 730 de emendatione verbi *vexerat* in Lucani Phars. VIII, 479 invenias.

Praestantia libri maxime cernitur, si cum praecedentibus itinerariorum editionibus comparatur, et quamquam postea verba e codicibus Mss. passim ab ipso corrigi potuissent, ut correcta sunt a Millero 1), et a doctis Berolinensibus 2), multaeque res accuratius definitae et nova luce donatae sunt laboribus peregrinantium et virorum doctorum commentationibus, Wesselingius hoc opere nomen suum cum historia et studio geographiae veteris ita coniunxit, ut semel immortalem gloriam consecutus videatur.

Non temere dixi editorem plurima correcturum fuisse, si alteram libri editionem potuisset dare. Nam quum Ruhnkenius Parisiis ei haec nuntiasset: »Doctissimis Galliae viris merito accensendus est Melotus. — Is Antoni Itinerarium ex editione tua cum sex codicibus Mss. co tulit, multaque observavit egregia, quae, si editio t iteranda sit, se tecum communicaturum pollicetur" 3) hoc responsum tulit: »Melotum ob Antonini itinerariu mire amplector. Ego id minime abieci, imo vero pluri correxi adstruxique, usui futura, sicubi Herodoteo labo defunctus fuero" 4). Sed quo devenerit exemplum lib emendatum ignoramus 5).

1) Recueil des itinéraires anciens publiés par le Marquis de Fortia d'Urban, Paris 1845.

2) Itinerarium Antonini et Hieros. edid. G. Parthey et M. Pinder, Berol. 1848. — Hieroclis Synecdemum quum Imm. Bekker in Script. hist. Byzant. post libros Constantini Porphyrogencti repeteret, Bonnae 1840, integros Wesselingii commentarios sine ulla mutatione aut additamento libello adiecit.

3) Vid. Epistolae D. Rh. ad diversos, p. 116.

4) Vid. Wesselingii epist. inedita ad D. Ruhnk. scripta a. d. X Kal. Febr. 1755.

5) In Catalogi Bibl. Wessel. P. I. p. 147 laudatur exemplum ve-

Wesselingii fama praeclara institutione Academica doctisque scriptis parta eos, quibus res Academiae Rhenotraiectinae commissae erant, movit ut in locum abitu celeberrimi viri C. A. Dukeri vacantem iterum vocandum commendarent. Itaque pridie Kal. Martias a. 1735 Consules in Senatu Urbano eum nominarunt eodemque die magistratus urbis omnibus suffragiis eum crearunt professorem ordinarium eloquentiae, historiarum et linguae Graecae, stipendio ad mille sexcentos fl. aucto, et decreverunt ut statim verbis honorificentissimis invitaretur ad munus recipiendum 1). Ille aliquamdiu dubitavit utrum maneret Franequerae, ubi carus erat omnibus et sua sorte contentus, praesertim quum haberet collegas, quales maxime optaret, amicissimos, an abiret Traiectum; postremo decrevit uti nova conditione et die XIII m. Junii inauguratus est habita oratione *pro historiis.* Ea praecipue versatur in fide historiae veteris a scriptoribus Graecis et Romanis traditae defendenda, et arguit doctorem historiae minime probantem Perizonii aliorumque dubitationes. Ut libere dicam quod sentio, oratio nec argumento nec forma valde placet, et, licet in Actis Academiae Mss. vocetur doctissima, non tamen multa cura vigiliisque elaborata videtur. At laudamus quod novos collegas allocutus candide profitetur, quantum in iis, quos Franequerae habuerat, amisisset, et quod iuventutem rogat, ut omni virium contentione eruditionem a fontibus haurire, non rivulos consectari velit.

Quanto opere Academia Frisiaca ereptum sibi Wesselingium desideraret, testatus est Herm. Venema in literis eodem anno ad amicum datis, quum scriberet: »Bur-

---

terum Itinerariorum ex editione defuncti cum notis Mss. Quem emptorem invenerit ignoramus.

1) Vid. Additam II.

mannus *noster*, ita enim tu nos coegisti loqui, nobis et iuvenibus pro ea, qua est aetate, satisfacit, nec tamen Tui unquam exstinguet desiderium." Quod ne quis amantius quam verius dictum putet, sciat sex annis post Wesselingium in Frisiam esse revocatum, ut damnum quod Academia fecisset Hemsterhusio Leidam traducto repararet. Sed ille oblatione magni stipendii, quod paene duo milia fl. attingebat, et multorum precibus expugnari se non passus est, mansitque Traiecti, etsi recusaverat mense Augusto a. 1740 sibi a magistratibus civitatis annui stipendii cum CCC florenis augmentum hac conditione oblatum, ut si Leidam vocaretur migrare nollet. Ille enim suam libertatem pretio vendere noluit. In urbe maiore et celebriore non invenit parvi et tranquilli oppidi amoenitatem, videturque deplorasse bonas horas ineptis salutationibus ereptas; sed rursus non deerant quae facerent, ut Traiectina vita contentus esset. Neque enim dubitandum est ex animi sententia profecta esse, quae nuntiavit Jo. Guil. Hofmanno, professori Vitebergensi, qui in locum discessu Everardi Ottonis vacantem a 1739 Traiectum vocatus erat: »Habitamus urbem totius Belgii et soli et coeli amoenissimam, salubritate celebrem et iuvenum frequentia spectabilem, cuius etiam cives facili sunt ingenio et in peregre advenientes percommodo" 1).

Duo imprimis sunt quae doctoris Academici vitam felicem reddunt, collegarum amicitia et discipulorum observantia. Neutrum defuerat Wesselingio in Frisiaca Academia docenti; neque his bonis caruit, quamdiu Traiecti vixit. In eloquentiae et historiarum professione collegam inveniebat clari nominis Arn. Drakenborchium, qui cum audivisset eum Traiectum esse migraturum, per epistolam, quae superest, suam ei amicitiam obtulerat, et quum

1) Vid. Syll. nova epistt. lib. IV p. 752.

sequenti anno natalem centesimum Academiae Rector oratione solemni celebraret et Academiae fasces Wesselingio traderet, palam testatus est, id eo libentius se facere, quod hoc omen sibi esse videretur eandem non fucatam amicitiam, quae inter Dukerum et se semper fuisset, inter eos omni tempore futuram 1). Atque ille cum Drakenborchio, postea cum Jo. Fred. Reitzio, qui in demortui locum vocatus erat, semper coniuncte vixit. E ceteris collegis, quibuscum ei arctior consuetudo et familiaritas intercessit, nominamus Abr. Wielingium Iureconsultum literatissimum, quem iam Franequerae cognoverat, Frid. God. Houckium et ipsum Steinfurtensem, Seb. Ravium, linguarum orientalium professorem, et per ultimos annos Gisbertum Bonnetum. Certis enim indiciis demonstrari potest hos cum Wesselingio amicitiae vinculis fuisse constrictos, etsi in Wielingio desideramus animum illum aequum, bonitatem, facilitatem, quae ornabat Wesselingium. Theologi ultimos Wielingii annos reddiderunt insuaves eumque iniuriis ad iniurias protraxerunt. Rem satis notam tetigit noster in literis d. VII. Id. Nov. a. 1745 Valckenario suo missis. Ibi haec legimus: »Orationem tuam 2) legi iucundissime et vehementer probavi. Ridendo verum dixisti, Theologorumque vulgo, quid in illis merito bonus quisque desideret, optime patefecisti. Quam suave, praestantissime Valckenari, et rei literariae fructuosum foret, si tandem sapere discerent. Nostri cum maxime rixantur strenue, idque maiorem in modum allaborant, ut Wielingius haereticorum bipedumque nequissimus per omnium ora volitet. Ille quidem parem ipsis gratiam refert pro virili, sed ne Hercules quidem, ut in

1) Vid. or. laud. p. 55.

2) Dicit orationem Valckenarii de critica emendatrice in libris sacris novi Foederis a literatoribus non adhibenda, quam illo anno Rectoratum Academiae deponens habuerat.

proverbio est, nedum contra quinque Theologos atque universum paene pullatum ordinem. Equidem neutros laudo neque fastum nonnullorum patienter fero. Vestrae res pacatae si sint, ut opinor, eam vobis felicitatem perpetuam volo. Quid enim iucundi in scriptis, quae nil nisi convicia et minas spirant? Sed haec illis relinquamus." Wielingius in ipso certamine occidit, sed ante mortem inimicis suis ignovit; quare Wesselingius biduo post eius obitum de ea re Vonckium suum et Wielingii dilectum discipulum certiorem faciens eum hortatus est ne ederet Theologum barbarum, quem moliebatur, et defuncti nomine rogavit, ut scriberet praefationem eius libro, qui tunc prelum exercebat. Discipulus paruit voluntati defuncti et precibus Wesselingii, brevique post edidit Wielingii Nubem testium 1), cui libro dolemus non praemissam esse disputationem de vita studiisque scriptoris, quam Wesselingius in eadem epistola se scripturum pollicebatur. Cum Saxio, qui ab anno 1753 in facultate literaria eius collega fuit, potius sortis necessitudine quam amicitia iunctus fuisse videtur. Nam etsi in acerrima contentione inter hunc et P. Burmannum Secundum plures per annos agitata medius erat, Saxius tamen aegre ferebat Wesselingium esse adversarii sui amicum, et in aliquo libro tecte collegam perstrinxisse videtur 2).

---

1) Integer titulus libri est: Abrahami Wieling ICti et antec. Nubes testium sive Apologetici pars altera. Opus postumum. Ed. et praefat. adiunxit C. V. Vonck. Traiecti Viltorum apud H. Besseling, 1746.

2) Id efficio ex iis, quae leguntur in literis Iani Helvetii die 27 Iunii a. 1763 ad Wesselingium missis: „Deductionem (P. Burmanni Secundi) evolvi, ad quam quid repositurus sit homo iste Saxeus, nescio. Caetera mihi, ut scis, nota leviter me tetigerunt, plurimum perculit Te virum ea aetate, ea nominis fama, et tot vitae integre actae documentis, ab impudentissimo furcifero et nebulone perscissum fuisse et per cuniculos impetitum. Sed confido hominem brevi

Quam carus acceptusque fuerit discipulis, multorum literae ostendunt, qui relicta Academia laudant eius pronam voluntatem discentium conatus adiuvandi, pro egregia institutione gratias agunt maximas, et si ipsi aliquid in literis elaborare volunt, optimi praeceptoris consilium et auxilium rogant. Longum est omnes recensere, quorum testimonia excitare possem. E magno numero paucos citabimus, veluti Corn. Valerium Vonckium, qui adolescentulus XVIII annos natus Specimine critico in varios auctores et in adiunctis ei Observationibus Miscellaneis pulcram de se spem fecerat. Is deinde frequens epistolarum commercium cum magistro habuit, et hodie supersunt eius XXXIV epistolae ad eum, et XIX Wesselingii ad hunc, qui prioribus annis magistratui Neomagensi ab actis fuit, aliisque muneribus ornatus, postremum a. 1762 Manhemiam abiit consiliarius Electoris Palatini. Wesselingius saepius eum monuit, ut Corippum ederet, cui provinciae satis aptum se probarat iu Specimine laudato (p. 11—32). Unius epistolae partem afferre liceat, quae a. 1750 scripta simul argumento erit nostrum multum temporis impendisse praeparationi scholarum. Sic igitur ille: »Bonamici librum 1) avide exspecto, longe tamen avidius Corippi Joanneidos opus, quo tu si literarium orbem beaveris, praeclarissime de eo mereberis. Utere itaque occasione et amicos, quos in Italia et Germania plures habes, urge ut hanc tibi operam tradant. Ego lectionibus publicis et privatis ita cum maxime distrahor ut nihil vacui temporis supersit. Nuper tamen ad Reimarum Hamb. epistolam dedi, pluribus Dionis

---

Deabus scelerum vindicibus aut earum administris Academiae Curatoribus meritas poenas daturum."

1) Respicit Castruccii Bonamici de rebus ad Velitras gestis commentarium ex editione Italica repetitum cura C. V. Vonckii editumque Amstelodami 1748.

Cassii emendationibus instructam, quam ille se additurum in Cassiani operis tomum secundum significavit. Tibi plus otii est, quod literis nostris, ut facis, impende et eripe te magis magisque vulgo." Servatae quoque. sunt plures epistolae quas doctus Iureconsultus Harlemensis Ger. Guil. van Oosten de Bruyn, ad suum magistrum et »quasi parentem alterum" plures per annos dedit. Scripta declarant fuisse virum doctum et acutum, literae amoris plenae 1) testantur eum aliis negotiis non tam fuisse districtum, quin libenter scriptores Graecos imprimis Andocidem et e Latinis Livium legeret et in illis emendandis feliciter versaretur. Propterea magister eum commendavit a. 1751 Herbornae, quum locus Professoris humaniorum literarum ibi vacaret. Sed ille propter rationes domesticas conditione sibi oblata uti noluit.

Tertius his accedat Theologus Jona Guil. te Water, qui plures per annos eum audivit historiam et Graecas literas docentem 2). Is non solum in Narratione de rebus Academiae Lugduno Batavae 3) et in commentario de vita sua 4) quanti faceret Wesselingium professus est, sed saepe in sermonibus familiaribus dicebat eum fuisse virorum doctorum illius aevi principem, tantaque pietate eius memoriam colebat, ut quoties in scholis Academi-

---

1) Sic in ep. Non. Quinct. 1752 scripta legimus: „uti nemo est, cui plus debeo, quam Tibi, ita nec alius quisquam sit, quem magis colam aut cuius amicitiam potiorem ducam, oportet."

2) Cf. Sepp, Joh. Stinstra en zijn tijd, II, p. 17, ubi invenias Wesselingii testimonium ei datum.

3) Pag. 8 in adnot.

4) P. 9. „Ik gevoele tot hede de groote verpligting, welke ik aan alle mijne leermeesters had, doch bij uitnemendheid aan de heeren Wesseling en Rau. Den eersten hoorde ik den tijd van volle zes jaren zijne zoo nuttige als aangename lessen geven, en dit heeft mij nooit berouwd. Van dien grooten Man was altijd veel te leeren."

cis eius nomen pronuntiaret, caput aperiret, sicuti ex eius discipulo cognovi. Omitto Iac. de Rhoer, Ian. Andr. Hultmannum, Adr. Kluit, et, quibus nulli eum vivum mortuumque maiori amore et veneratione prosecuti sunt, Meinardum Tydemannum et Rijklof Michael van Goens, de quibus duobus magistri sui in variis muneris partibus successoribus suo loco plura dicam.

Praeter scholas publicas habuit saepe privatas, partim in gratiam eorum, qui in eius intimam familiaritatem pervenerant, partim rogatu multorum principum, qui studiorum causa Traiectum undique confluebant. Quod ipsius testimonio demonstrabo. Nam Uhlio excusans negligentius cultam per literarum commercium amicitiam scribit se domesticis exercitiis muneris distineri additque: »Numeravi inter auditores superiore anno duos ex illustri Wurtembergica et totidem ex Saxonum Hildeburghusia gente principes: cum maxime me exercet egregius comes de Schoenborn, ex fratre Trevirensis electoris progenitus, exspectaturque intra triduum e Brandenburgica Anspacensi familia unicus heres." Et in aliis ad eundem literis: »Princeps Anspacencis egregia omnia pollicetur studiisque operam navat diligentissimam 1)."

In Wesselingio multa erant, quae non solum praestantes ingenio iuvenes, sed etiam numerum et, ut ita dicam, vulgus studiosorum alliciebant et tenebant.

Imago viri picta quae senaculum Traiectinae Academiae ornat, ad eamque tabulam delineata et a perito sculptore aeri incisa, quae in volumine priore Diodori cernitur, ostendit vultum apertum, frontem serenam, oculos venustos, acutos, os leni risu temperatum, habitum corporis nec nimis gracilem nec obesum nimis, virique gravitatem auget capillus adscititius, quem tunc multi gestare

1) Vid. Syll. nova epistt. L. I p. 159 et 161.

solebant. Ad hanc corporis commendationem accedebat vox sonora, gestus decorus. Neminem offendebat usus sermonis Latini, cui omnes qui audiebant tum ita adsueti erant, vix ut tulissent professorem patrio sermone aliave lingua recentiore utentem. Neque Wesselingius fundebat flumen inanium verborum, sed vel per auditorium ambulans e vastae eruditionis copiis memoriter promebat divitias, vel de scripto recitabat quae de aliqna quaestione domi composuerat, ut facere solebat in scholis de antiquitatibus et linguae Graecae. Hoc ex genere nobis servata est schola de Aristobulo Iudaeo, a M. Tydemanno chartae consignata, in qua difficilem quaestionem suo Marte brevius, sed eodem modo tractavit, atque Valckenarius in nobili Diatribe. De scholis historicis iuvat afferre Wyttenbachii testimonium gravissimum Is quum narrasset in Academiis scholas historicas paulatim fuisse desertas, postquam adolescentes eam libris legendis rectius disci posse sibi persuasissent, sic pergit 1): »Unus Wesselingius, qui obiit Ruhnkenio recens Professore, anno huius saeculi sexagesimo et quarto, Traiecti se ad vitae finem usque in vetere laudis possessione tutatus est: tradebat Historiam universalem cum auditorum incredibili studio, admiratione, frequentia: memoriter omnia narrabat, subinde per auditorium ambulans, nil in manibus habens nisi parvam scidulam in qua nomina quaedam propria hominum ac tempora notata essent; habebat procero cum corpore magnam in habitu, gestu, vultu, voce gravitatem: haec admirationem faciebant multoque plus quam singularis eius doctrina apud multitudinem vulgumque iuventutis ad excitanda retinendaque eius studia valebant.” Wyttenbachius erravit eo, quod eum in auditorio tam pleno deambulantem fecit, et ad

---

1) Vita Ruhnk. p. 97.

scholas historicas transtulit, quae de aliis minus frequentatis erant ipsi narrata 1). Ceterum Wesselingium in suis Historiae universae institutionibus saepius ultra centenos habuisse auditores, adeo ut domesticum eius auditorium iis continendis vix sufficeret, a Sebaldo Ravio non temere narratum esse discipuli affirmarunt. Neque mirandum est tot adolescentes pependisse ab eius ore, quando narrabat historiam, quandoquidem post Iosephum Scaligerum neminem fuisse, qui per latissimum campum historiae veteris, chronographiae et geographiae omnes vias et semitas melius peragrasset et cognovisset, fatendum est 2). Sed si ipsa Clio historiam doceret, non diu teneret auditoria plena, nisi narrationis suavitate et lepidis fabellis et acute dictis eos, qui audiunt, captaret. Hanc artem tenuisse Wesselingium quum per se probabile est, tum affirmat Henr. Bolt in carmine de obitu magistri sui P. Wesselingii 3):

Te melius nemo secli monumenta vetusti
  Aut retulit veterum grandia facta virum.
Gratia facundis aderat suavissima dictis,
  Spargebas placidos et sine felle iocos.

In scholis Graecis literarum professores illo tempore praeter poetas et scriptores veteris Graeciae interpretari debebant Novi Foederis libros. Egregie hac muneris parte functos esse scimus Jo. Albertium et L. C. Valckenarium, idemque de Wesselingio cum propterea affirmare audemus, quod Theologus erat et plenus pietatis, tum

1) Cf. Mein. Tydemanni epist. ad D. Wyttenb. in Supplementis G. L. Mahnii ad epist. D. R. et D. W. pg. 59 sq. et Iod. Heringae adn. ad Orat. de auditorio p. 195 sq.

2) Cf. F. Creuzer, zur Geschichte der class. Philologie, pg. 185.

3) Vid. H. Bolt, Silva poetica, Harlemi 1766, p. 34 sq.

quod licuit nobis inspicere volumen miscellaneum 1), quod continet plura eius dictata ad scriptores Graecos, imprimis ad libros codicis sacri. Singula se commendant interpretationis diligentia et sobrietate adnotationum, apparetque magistrum noluisse discipulos doctrinae copiis librorumque citationibus obruere. Commentarius duorum postremorum capitum Actorum, qui eodem volumine continetur, prodit interiorem cognitionem geographiae veteris et in locis difficilioribus ponderandis prudentiam summam.

Nondum annum Traiecti docuerat, quum Drakenborchius in centesimo natali Academiae fasces traderet Wesselingio, quem magistratus urbani Rectorem sequentis anni esse voluerant. Quem ille honorem d. 18 Martii a. 1737 deposuit habita oratione de statu religionis et reipublicae sub Constantino Magno.

Sequenti anno edidit Diatriben de Iudaeorum archontibus, quam Io. Alberti in epistola familiari a. d. VI Kal. Iulias eiusdem anni scripta vocat elegantissimam et quam scimus etiam ab aliis viris doctis probatam et laudatam fuisse 2). Inscriptio Berenicensis Graeca a Scipione Maffeio primum edita et explicata 3), deinde ab Io. Buherio retractata diatribes scribendae causa fuit. Scriptor neutri plane assensus quum alias inscriptionis partes, tum locum de novem archontibus, qui in ea nominantur, illustravit, multa quae dubia erant e doctrinae suae copiis et ex rei epigraphicae subsidiis in clara luce ponens. Docet Archontes illos, qui etiam primates et proceres appellantur,

1) Describitur in catalogo publicae bibl. Amstelodamensis. P. IV p. 979. Mss. N°. 86.

2) Cff. duae epistolae MSS. Blasii Caryophili d. XVIII Apr. et VIII Maii a. 1739 ad Wesselingium datae, in collectione epistolarum Leidensi.

3) In Galliae antiquitt. selectis, Parisiis a. 1733 editis, ep. I et VIII.

Cyrenis, Alexandriae aliisque in locis fuisse magistratus Iudaeorum suae gentis, probe distinguendos ab Archisynagogis et ab Ethnarchis, obiterque virorum doctorum errores de Arabarchis profligat 1).

Sequitur disputatio, quam anno 1733 Franequerae dederat defendendam Andreae von Dohren Dantiscano, nunc paulo plenior, suscepta ad convellendam auctoritatem Victoris Tunnunensis, qui narravit Anastasium Imperatorem evangelia reprehendi et emendari iussisse, id est, vitiasse. Wesselingius docet tantum ab illa impietate abfuisse Anastasium, ut per viros doctos ex auctoritate optimorum codicum verba, quae in deterioribus libris in Matthaei XXVII, 49 e Ioanne XIX, 34 illata essent, expungenda curaverit. Ex hac re, quam e fragmento quodam Severi Antiocheni, quod Assemannus ediderat, demonstravit, fabulae originem explicat negatque e Victoris narratione argumentum posse peti contra fidem et auctoritatem evangeliorum. Plures eiusdem Chronici loci e codice Ms. meliore, quam quo usus fuerat Io. Scaliger, restituuntur, maximeque habetur ratio additamenti de morte Vigilii Romani Episcopi in insula Sicilia. Postremo docet in magnis tenebris, quibus Africae geographia antiqua premitur, nihil certi dici posse de urbe, in qua Victor ille episcopus fuerit.

In epistola ad Iac. Ph. d'Orvillium, quae praefationis vice fungitur, scriptor exposuit summa capita dissertationis ineditae de anonymo Ravennate, cuius librum Abr. Gronovius post Pomponium Melam ediderat. Multas frau-

1) Conspectus diatribes inveniuntur in Bibliothèque raisonnée vol. XXI p. II p. 243—282. Vol. XXII P. I p. 32—59. et in Novis actis eruditorum 1742. p. 454—466. Altera pars disputationis valde laudatur in Jablonskii exercitatione de morte tragica imperatoris Anastasii, Francof. ad Viadr. 1744.

des eius detegit ostenditque non fuisse antiquiorem saeculo nono.

Decem annis post prodiit eius epistola ad virum Celeberr. H. Venemam de Aquilae in scriptis Philonis Iudaei fragmentis et de Platonis epistola XIII. Parvus, sed doctus et elegans libellus varias quaestiones continet. Prima et praecipua disputatio suscepta videtur ad plurimos errores Thomae Mangeyi, in editione Opp. Philonis Iudaei Londinensi a. 1742 commissos, refellendos. Scriptor ostendit 1° Philonem saepe secutum esse versionem Veteris Testamenti Alexandrinam, etiam ubi non accurate facta sit. In hac parte disputationis aptis exemplis aliorum scriptorum Graecorum demonstrat pravam scripturam, voces male distractas a librariis aut male coniunctas saepe peperisse absurdos errores, veluti in libro a Leone Allatio edito *προςδεξάμενον* e *πρὸς Δεξάμενον*, et ingeniose emendat duo Leonidae epigrammata. 2°. Philonem orationis variandae et elegantiae gratia ab ea versione nonnunquam discedere. E. g. docet in duobus Philonis locis *λευκόπυρον* recte nominari, quae alias vocatur *σεμίδαλις*, unde fluxit Lat. *simila*. 3°. Philonem saepe videri ab Alexandrinis dissentire, ubi re vera cum iis faciat. Hoc in loco tres locos Novi Testamenti adversus Th. Mangeyi et R. Bentleii dubitationes recte tuetur. Recentiores editores Novi Testamenti in iis quoque auctoritatem codicis Vaticani et Alexandrini secuti sunt. 4°. Philonis dissensum saepe librariis esse tribuendum, aut a criticis male sedulis esse invectum. 5°. Philonem vitioso exemplo librorum sacrorum usum esse. 6°. Saepe cum Aquilae versione non congruere. 7°. Quae ex Aquila desumpta videantur partim non esse Philonis, sed scholia ex Hexaplari Origenis aliisque libris desumpta, partim deberi ipsius Philonis ingenio, qui sermonis Hebraei non ignarus in eandem cum Aquila versionem incidere poterat. Obiter in

hac parte similes glossas in patribus Latinis Cypriano et Bachiario indicat 1).

Deinde transit ad quaestionem de αὐθεντία epistolae Platonis XIII[ae], quam adversus plurimorum Virorum Doctorum sententiam defendit. Disputatio subtiliter excogitata, erudite demonstrata valde placebat Reiskio, ut ex eius epistola aliqua cognovimus 2). Causam non obtinuisse Wesselingium recentiores critici censent contra Wyttenbachii iudicium, quod in adnotatione ad Platonis Phaedonem p. 108 aperuit; sed egregie tamen demonstravisse illam epistolam a Plutarcho inter Platonis epistolas inventam et pro germana habitam esse nemo negabit. Suspicatur praeterea fuisse duas epistolas, quarum prior desineret in verbis καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ, itaque superesse quatuor illas Platonis epistolas ad Dionysium iuniorem, de quibus Thrasyllus apud Diog. Laert. III, 61 loquitur. Postremo singularum datarum tempus constituere conatur, coniicitque apud Diog. Laertium III, 21 non Θεώταν, nec Θεόνδαν, sed Θεοδόταν esse legendum, quod ipsum nomen eo loco restitutum est a Cobeto in editione Parisina a. 1850, incertum e codice Ms. an ex ingenio.

In extrema epistola p. 46 seqq. docet falsam esse centonis Probae Falconiae inscriptionem. Non enim missum esse libellum Honorio Aug. Occidentis imperii, sed Theodosio, et *fratris* nomine, quod legitur in v. 3, ubi ille appellatur *spes orbis fratrisque decus*, indicari Valentinianum II, quum utriusque imperii Imperatores fratres dicerentur. Coniectura neglecta a scriptoribus, qui deinde de illa poetria egerunt, etiam ab eo qui novissime de gente et nominibus eius docte disputavit eamque Aniciam

1) Cf. Nov. act. erud. 1750 p. 23—26.

2) Epistola scripta est Lipsiae d. 14 Oct. 1748, et in commercio literario Wesselingii servatur.

Faltoniam Probam appellatam fuisse docuit [1]), valde p[illegible]o-babilis videtur.

Postremo monet hymnum a Leysero et Io. Alb. Fabri[illegible]io ut ineditum publicatum, esse carmen trochaicum in [illegible]e-nantii Fortunati carminibus aliisque hymnorum collec[illegible]i-onibus saepius ante editum.

In intervallo inter illa duo scripta et curavit ut alie[illegible]a scripta melius quam olim edita fuerant repeterentur, [illegible]et nova Diodori Siculi recensione et interpretatione opti[illegible]e meritus est de historiae studio et de literis Graecis.

Quum forte nactus esset epistolas docti Hispani Em[illegible]n. Martini Mantuae Carpetanorum a. 1735 typis descript[illegible]s, sed quarum exempla extra Hispaniam essent rara, auc[illegible]or fuit I. Wetstenio eiusque socio, ut librum bonae fru[illegible]is plenum repeterent, eamque editionem Amstelodamens[illegible]m duobus voluminibus absolutam praefatiuncula ornavit. In ea laudat scriptoris eruditionem, libertatem, eleganti[illegible]n, etiam ligato sermone declaratam, velut consecrati[illegible]ne arcae, quae multos per annos fuerat itinerum comes [illegible][2]), quantumque utilitatis ex his literis redundet in disciplin[illegible]am antiquitatis; quo in genere delineatio et descriptio ru[illegible]dé-rum theatri Saguntini [3]) peculiariter laudem meret[illegible]ur. Wesselingius itaque epistolas ad plures pervenire vol[illegible]it; et ne nostra quidem aetas eas debet negligere, praes[illegible]er-tim quum docti Hispani epistolis interpositae sint pl[illegible]ri-mae aliorum ad ipsum datae, e quibus Ian. Vinc. Gr[illegible]vi-nam, Scipionem Maffeium, Gregorium Maiansium, B[illegible]rn. Montefalconium nominasse satis erit.

1) Jos. Aschbach, die Anicier und die römische Dichterin P[illegible]ba in Sitzungsber. der Kais. Akad. der Wissensch. Jahrg. 1870. Febr[illegible]ar. p 369 seqq.

2) Carmen legitur T. II p. 82 seqq.

3) T. I p. 198 seqq.

Etsi in Traiectina editione, quae a. 1743 prodiit, operis Bl. Caryophili de antiquis marmoribus nulla eius mentio facta est, affirmare tamen possumus Wesselingii in ea illas partes fuisse, ut modesti scriptoris fuisset palam profiteri operam sibi allatam. Nam abbas ille quum mense Ianuario 1739 librum suum paulo ante Vindobonae editum Professori Traiectino mitteret, simul rogavit ut sua auctoritate typographum aliquem permoveret, ut librum emendatum auctumque eleganter repeteret. Superest exemplum epistolae, qua Wesselingius comiter onus sibi impositum recepit, et plures correctiones libri, quem censebat utilem et bene elaboratum, cum scriptore communicavit. Caryophilus non laudato auctore iis usus est, sed non ingratum se praestitit. Nam operam dedit ut codices scripti, qui partes operis Diodorei continebant, et in bibliothecis Venetis servabantur, ad usum Wesselingii in nova editione paranda occupati conferrentur; cuius rei testes sunt ipsius epistolae plures illis annis scriptae et nunc Leidae superstites et nostri testimonium in praefatione Diodori. Caryophilum modestia superavit Io. Henr. Leichius Lipsiensis, qui quum curas secundas ad Graecas Muratorii inscriptiones depromeret, non solum pro egregiis animadversionibus a Wesselingio sibi oblatis gratum animum in literis privatis declaravit, sed in editione publice professus est, quantum ei deberet, nec alienis plumis se ornavit 1).

1) Vid. Sepulcralia carmina ex anthologia Ms. Accedunt ad Graecas Muratorii inscriptiones in Misc. Lips. explicatas curae secundae, Lips. 1745. p. 39, 42, 43, 45, 46, 47, 52 et 53. In epistola d. 27 Maii a. 1745 ad Wesselingium data haec legimus: „Satis diu in aere tuo sum, nec pro singulari beneficio, quo me totum tibi adeo obstrinxisti ut eius memoriam animo meo excidere nunquam sim passurus, debitas tibi gratias hactenus persolvi. Quibus enim officiis id promerui, ut mei, ignoti hominis, nec iis artibus, in quibus tu omnium consensu hodie principatum tenes, instructi causa tot curas

Multo maiorem operam posuit in adornanda nova tione legum Atticarum Sam. Petiti, quae facit pai tertiam Sylloges, quam Io. Gotl. Heineccius anno 1 instituerat sub nomine Iurisprudentiae Romanae et Atti Hunc ille laborem suscepit rogatu veteris collegae Fr querani, quem, antequam liber prodiret iam fato f tum, elegantiori iurisprudentiae bonisque literis erep sub finem praefationis deflevit.

Editoris partes in hoc libro edendo fuerunt tres; primum locos scriptorum a Petito non indicatos lauda libro et capite vel versu citato. Tum commentario P adnotationes non, ut scribit in Praefatione, paucas, satis multas easque gravissimas subiecit, in quibus scriptorem errantem comiter in viam reducit, vel defendit ab iniustis Salvinii aliorumve reprehensionil Wesselingius interiore sermonis Graeci cognitione lo superabat Petitum, itaque saepe huius errores vidi ne alios laterent cavit. Exempla plurima in promptu si velut p. 69, adn 1. 73,1. 85,1. 106,1. 163,2. Sed mi saepius refutavit Petiti licentiam in verbis veterum sc torum ad suum arbitrium refingendis, qua maxime no utilitati operis suscepti. Quavis fere pagina invenies exen prudentis criticae, ita ut nihil attineat exempla laud In legibus conquirendis diligenter Petitus erat versat ita ut raro omissas ab eo leges sequentes interpre iuris Attici invenerint. Pauca ex hoc genere observ Wesselingius in adnotationibus ad p. 151, 157, 1 170, 637.

---

impenderes? aut quibus id unquam mereri potero? Sed ea est a tui indoles, ut prodesse omnibus velis, quibus potes, nec mino laudem existimes humanitate quam ingenio et infinita doctrina o vincere. Iam tua tibi remitto huic libello passim inserta, qui nulla alia re, certe doctissimis observationibus tuis, eruditis c mendabitur."

Tertiam laboris partem continet praefatio p. I XII. In ea accurate agitur de iis qui a Dracone ad ultima libertatis Atticae sub Imperatoribus Romanis tempora leges in ea civitate tulerint, multique errores in hac quaestione commissi castigantur. Tum recensentur veteres qui legislationem Atticam scriptis, quae misere deperdita sunt, illustrarunt, atque recentiores qui ante Petitum vel post eum leges Atticas collegerunt. De ipso Petito addidit nonnulla quae legisse neminem poenitebit.

Omnino utilissimam operam posuit in nova editione operis Petitiani paranda, passimque laudatur ab iis, qui post eum hanc antiquitatis Graecae partem scriptis suis illustrarunt 1). Negari tamen non potest in libro Petiti desiderari ordinem, quem editor pro consilii ratione non restituit; sed si quis unquam Petiti laborem denuo reficere volet, gratus agnoscet viam sibi stravisse, certe aliquoties aequiorem fecisse novissimum editorem.

Sed mittamus haec πάρεργα veniamusque ad opus maioris molis, in quo parando et elaborando novem per annos multas horas a muneris negotiis vacuas collocavit. Diodorus Siculus sub Augusto ad historiam scribendam se convertit, multumque laudis adeptus est condita Bibliotheca historica, in quam immensae lectionis fructus congessit. Multum quidem abest, ut magnae exspectationi, quam in prooemio de suo opere movit, respondeat, sed quum plurimi scriptores, quibus usus est, aut plane aut magna ex parte perierint, hanc ille iacturam aliquatenus saltem compensat. Nam, etsi historiam universam nec animo capere nec ordine digerere potuit, tam multa tamen et saepius tam nova de variorum populorum mori-

1) Cf. C. G. Richteri specimen animadversionum de scriptoribus iuris Attici ad Fabricii bibl. Gr. Lipsiae 1790. A. G. Heffter, die athen. Gerichtsverf., Cöln 1822.

bus, institutis, rebus tradit, ut magnopere dolendum sit vix dimidiam partem operis ad nos pervenisse. Scripsit multa sine iudicio, sed quum saepe servet, quae e bonis fontibus ducta apud scriptores superstites frustra quaeruntur, utilissimus est, possuntque eius ope multi errores corrigi et verus rerum ordo nonnunquam restitui, ut factum est ab iis, qui prudenter et diligenter in enarrandis illis rebus versati sunt.

Talis scriptor non poterat negligi a Wesselingio quotannis historiam veterem discipulis narranti, eiusque adnotationes ad itineraria vetera passim ostendunt diligentem et cautum Diodori lectorem. Quum autem post editionem Laur. Rhodomani ante CXL annos factam nulla prodiisset, omninoque eius operis bona editio desideraretur, Wesselingius virorum doctorum desiderio satisfacere cupiens illo opere absoluto se ad Diodorum contulit. Quod consilium quum percrebruisset, d'Orvillius multique alii subsidia critica ei miserunt, quibus ille prudenter usus post novem annorum labores opus perfecit, quod perpetuum monumentum nominis Wesselingiani vocari debet, quodque vel maxime auctori suo principem locum inter historicos et criticos tribuit.

Si Diodorum Wesselingianum cum antiquioribus editionibus comparamus, saepius videmus verba scriptoris e codicibus Mss. emendata, etsi ille nullum librum scriptum ipse tractavit et hac in re aliorum fide et diligentia stare debuit, nonnullisque subsidiis non contemnendis se destitutum fuisse in praefatione fatetur. In variis scripturis diiudicandis caute se gessit, sed nonnunquam nimia religione retentus est quominus aperta vitia tolleret, maluitque lectoris iudicio permittere hoc an illud sequeretur. Quare si hanc editionem cum Lud. Dindorfii maiori editione comparamus, fatendum est codicibus melius excussis orationem nonnullis in locis potuisse emendari, sed neque

Wesselingius minus instructus subsidiis criticis omnia praestare potuit, et ne novissimos quidem editores Dindorfium et Bekkerum melius paratos a codicibus pessime descriptis veram scriptoris manum ubique revocasse plurimis exemplis nuper probavit Madvigius 1). Sed ut hac in parte multa aliis perficienda reliquit, sic res a Diodoro narratas tam docte illustravit, ut eius commentarius summis laudibus dignus sit Nec defuerunt laudatores Nam in bibliotheca critica Gallice scripta, quae eruditorum labores divulgabat 2) atque in Novis actis eruditorum a Fr. Ott. Menckenio tunc quovis mense publicatis 3) cum alia laudantur, tum imprimis observatur »admirabilis diligentia et prope infinita lectionis copia in rebus geographicis et mythologicis, unde observationes natae sunt, quae vix ab ullo alio exspectandae viderentur." Atque alio loco haec legimus: »De rebus historicis et geographicis chronologicisque tantum universe dicemus, nullam esse difficultatem, quam vir clarissimus non vel ipse viderit, vel ab aliis motam commemorarit, et non breviter vel ipse sustulerit, vel quomodo ab aliis ei occursum sit indicaverit, ut hae notae studiosis historiae veteris valde utiles futurae sint." Reiskius quoque quum duodecimo anno post in Animadversionum ad Graecos auctores volumine primo suas ad Diodorum Siculum animadversiones ederet, eas Wesselingio publice misit, cui Diodorum editam debere putabat, et in privatis literis, quas libro adiecit haec posuit: »Novimus te omnes, Vir Excellentissime, ut criticum in paucis acutum dextrumque et doctum, ut nil supra, sic unum quoque ex aequissimis et humanissimis, illisque rari exempli hominibus, qui ut aliorum

1) Vid. Advers. crit. I. p. 484—520.

2) Bibliothèque raisonnée T. XXXVI. p. 265—291.

3) Nov. act. erud. Lips. 1847 p. 1—15.

errores absque fastu et acerbitate notant et corrigu[nt,]
sic aliorum dissensum a suis opinionibus aequo ani[mo]
accipiunt et ferunt.'' Aequalium testimoniis addam iu[di-]
cium magni Niebuhrii tanto gravius, quod eius ingeni[um]
et facultas cum Wesselingio minime conspirabat. Is itaq[ue,]
cuius ipsa verba in adnotatione citabimus 1), fatetur
Wesselingii adnotationibus ad Itineraria et ad Diodor[um]
multa inesse praeclara, eumque non quidem cum Sca[li-]
gero et Perizonio posse comparari, sed esse philolog[um]
eruditissimum, qui saepe immensae lectionis copiam pr[ae-]
clare administraverit, et pluris aestimandus sit, quam ol[im]
factum sit. Nemo postulabit, ut veritatem horum iudi[ci-]
orum exemplis demonstrem. Quicunque evolvet splen[di-]
dam Wetsteniorum editionem, mecum admirabitur edito[ris]
ingentem eruditionem et Albertio libenter assentietur eu[m]
optime meritum esse de orbe literato 2). Quam ob re[m]
non solum Bipontini, sed etiam Eichstadius in editio[ne]
Halensi, Lud. Dindorfius in Lipsiensi integrum edito[ris]

---

1) B. G. Niebuhrs Vorträge über alte Geschichte, herausgege[ben]
von M. Niebuhr, B. III. S. 28 in adnotatione. „Dasz die Auss[en-]
dung dieser Kleruchie (der Athener nach Samus) sich um Ol. 1[...]
zugetragen, ist eine schöne Bemerkung von Wesseling. — Ueb[er-]
haupt hat Wesseling viel Herrliches. Herodot ist die späteste [und]
nicht die beste seiner Arbeiten, aber seine Anmerkungen zu [den]
Itinerarien der alten Erdkunde und zum Diodor enthalten [viel]
Treffliches. Er beherscht die Philologie nicht, ist mit Scaliger u[nd]
Perizonius nicht zu vergleichen, die im Alterthum leben, aber er [ist]
ein sehr belesener, gelehrter Philolog und er macht von seiner Bel[e-]
senheit sehr oft einen vortrefflichen Gebrauch. — Daher ist er unte[r]
den Philologen des zweiten Ranges höchst nützlich. Früher wurde
er gar nicht gewürdigt, wie er verdient."

2) Io. Alberti in ultima epistola ad Wesselingium, quae superest
de hoc opere haec scripsit: „Geluk met deszelfs overheerlijke voltrek.
king. Nooit zal de geleerde waerelt haare verpligting aan UWEd
vergeeten, zoolang goede stukken op hun prijs geschat zullen worden."

Traiectini commentarium repetendum curarunt et raro invenerunt quod in eo corrigendum sive addendum videretur.

Quum Diodorum absolvisset, Wesselingius annum aetatis agebat quinquagesimum quartum, nec etsi saepius adversa valetudine temptabatur 1), mentis vel corporis vires imminutas sentiebat, nec nova onera sibi imposita recusabat. Itaque quum initio anni 1746 Abr. Wielingius obiisset, qui praeter ius civile, quae provincia tunc Fred. Gothofr. Houckio mandata est, etiam ius publicum Romano-Germanicum docuerat, hanc partem muneris magistratus Traiectini die 27 m. Iunii eius anni imposuerunt Wesselingio, aucto quingenis florenis stipendio annuo. Hic, qui in re familiari satis lauta vivebat 2), neque angustiis domesticis cogebatur, ut invitus honorem acciperet propter emolumentum, satis gravi muneri professoris Historiarum, eloquentiae et linguae Graecae, ne hoc munus professoris iuris naturalis et publici adderetur, non recusavit, quum harum quoque disciplinarum radices in historiae solo defixas esse iudicaret. Postquam ex sententia facultatis iuridicae in senatu a collega Iac. Voorda d. 24 Septembris honoris causa Iuris utriusque Doctor creatus erat, biduo post habuit orationem inauguralem *de vera civitatis felicitate*, quam non magis nobis videre contigit, quam alteram ex eiusdem disciplinae finibus depromptam, quam habuit quum anno saeculi quinquagesimo iterum magistratu Academico abiret, *de viro bono bono cive.* Magnam fuisse hominum exspectationem de novo iuris

1) Cf. praefatio Diod. sub finem.

2) Opibus suis Wesselingius sibi comparavit bibliothecam permagnam, bonis libris ex omni literarum et disciplinarum genere refertam, quae in aedibus defuncti publice distracta est diebus VII—XVI m. Octobris a. 1765. Catalogus duabus partibus constans continet titulos operum quatuor milium ducentorum quadraginta trium.

publici doctore ex literis privatis apparet. Unus ex discipulis, qui biennio post sibi famam paravit scripta dissertatione *de prohibenda in urbe et templis sepultura*, Abr. Perrenot natione Helvetus, in epistola a. d. VII Kal. Sextilis eiusdem anni ad magistrum data ipsi non magis quam Academiae Traiectinae novi muneris recipiendi consilium gratulatur 1).

Cum grati discipuli testimonio pulcre conspirat docti Germani iudicium. Nam Christ. Saxius, qui tunc non poterat suspicari se aliquando Wesselingii collegam fore, Lipsia m. Aprili anni sequentis hoc ei scripsit: »Quilibet bonus disciplinae iuris publici gratulatur, quod te doctorem post Wielingii viri celeberrimi fata nacta est, iis videlicet artibus perpolitum, quibus instructi olim Grotius et Pufendorfius primum eam fundarunt, cum alibi et inter nos quam plurimi superbe sibi arrogent iuris publici scientiam et titulum, qui ieiunum aliquod compendium cum plausu illiterato recitare aut ex actis diurnis crudos quosdam sermones de rebus publicis iacere didicerunt.« Atque Wesselingius, etsi in hoc genere praeter illas orationes nihil et fortasse ne has quidem edidit, non videtur spem de se conceptam fefellisse. Id partim affirmare audeo propter locum ex epistola Ruhnkenii 2), partim quia prae-

1) En ipsius verba: „Tu, quo te nostrum omnium utilitas et Academiae patriaeque salus incitabant, in te suscepisti, quod ne indignis conferretur, cordi ac curae bonis doctisque omnibus erat maximae. Igitur Iuris publici notitiam a te, Vir illustris, hauriemus? qui et temporum doctrinam et rerum, omnis aevi memoriam ita et nunc et semper coluisti, ut a nullo studiorum genere flagrantem animum continens mox ad divina humanaque iura mentem adplicaveris, mox alias artes ingenii tui lumine illustraveris."

2) „Propediem Ultraiectum veniet iuvenis illustris, comes de Werther, Ritteri atque Ernesti discipulus. Primum Leidam venire proposuerat, verum deinde, quia hic Ius publicum nunc non docetur,

clarus eius discipulus, quum magistro in hac muneris parte succederet, hanc eius laudem non praetermisit. »Quis ego," sic ille, »quis ego ad decessorem meum Wesselingium? — qui tantum poterat in historia, quantum aevo nostro nemo. Quemadmodum autem historiae multiplex usus est in iure naturae gentiumque, ius vero publicum imperii Romano Germanici prorsus absque historia recentiore neque intelligi neque tradi potest, ita Wesselingium utriusque doctorem optimum fuisse facile intelligitur et ipsi novistis" 1).

Paulo antequam novus honos ei tributus est, cum Davide Ruhnkenio, quem Ti. Hemsterhusii fama Lugdunum traxerat, ortum est epistolarum commercium, quod non nisi morte Wesselingii abruptum est. Inter schedas Wesselingianas inventae sunt sedecim epistolae Ruhnkenii, quibus edendis Mahnius apud bonarum literarum amantes gratiam iniit 2). Sed valde dolemus eundem instituti sui ratione impeditum fuisse, quominus adiiceret Ruhnkenianis undecim Wesselingii epistolas, quae e bibliotheca Leidensi depromi potuissent. Plurimum enim lucis cum illis afferunt, tum historiae literariae. Nos ex utriusque epistolis, praeter ea quae ad Herodotum spectant, quibus aptior locus infra dabitur, pauca delibabimus, imprimis quae ad Wesselingii ingenium, mores, doctrinae studia cognoscenda pertinent.

Quum Dio Cassius, ad quem Wesselingius multa adnotasse dicebatur, Ruhnkenio primae epistolae scribendae occasionem dedisset, qui addiderat H. S. Reimari literas, quibus hic in Dionis editione paranda tunc occupatus

quod ille in primis discere cupit, consilium suum mutavit et me auctore ad te se conferet." vid. D. Ruhnkenii epp. ad diversos p. 128.

1) Mein. Tydemanni or. de iurisprudentiae naturalis finibus regundis p. 59 sq.

2) In D. Ruhnkenii epistt. ad diversos p. 101—133.

rogabat ea ut secum communicarentur, comiter ei respondit Wesselingius, symbolamque se, quando primum posset, allaturum promisit. Et stetit promisso. Nam suas observationes Reimaro misit, qui pro iis gratias egit in epistola hodieque superstite, et illis locum dedit in suae editionis volumine secundo p. 1500 seq. 1).

In alia epistola Ruhnkenius illum arbitrum adegit liti disceptandae inter J. D. Ritterum et fratres Verbeeckios bibliopolas, quod ille in adnotationibus Heineccianae iuris historiae denuo ab illis edendae scriptoris errores liberius et acerbius castigasse dicebatur 2). Ad quae noster rescripsit: »Equidem Heineccium suo merito semper amavi, sed et hominem fuisse saepe comperi. Ritterus τὴν σκαφὴν σκαφήν, uti Graeci nostri aiunt, multaque erudite et egregie animadvertit, quae minime ab aliis legi cur debeant, causam non video. Potuisset, fateor, nonnulla modestius et lenius, praesertim in fato functum, omittere etiam ea, quae semel atque iterum inserta vidi de tironibus inter docendum admonendis; sed suum cuique ingenium scribendique color."

Haec arbitri sententia cum Rittero communicata pacavit editores 3). Quantum autem Ruhnkenius hac in re tribuerit iudicio Wesselingii apparet ex iis, quae deinde scripsit d'Orvillio, quum ei illam Iuris historiam mitteret et commendaret: »Nam vere iudicabat Wesselingius noster nihil iam a longo tempore in hoc studiorum genere pro-

1) Ex epistola inedita Reimari apparet hunc non probasse correctionem a Wesselingio propositam ἄσπειστον πόλεμον XXXVI, 6 pro ἄπιστον, quum Dio saepius hoc adiectivo utatur, si infidum vel perfidum dicere velit. — Obiter moneo in subscriptione epistolae primae p. 103 Mahn. errorem esse in nomine mensis. Pro *Ian.* scribendum *Iun;* nam Reimari epistola scripta est d. XVII Junii a. 1746.

2) l. l. p. 103 sq.

3) Cf. Ruhnkenii opuscula ed. alt. T. II. p. 782.

diisse, quod eadem sagacitate conscriptum sit aut plura nova reconditaque contineat" [1]).

Quum Ruhnkenii Timaeum accepisset et legisset, a. d. IV Kal. Jul. 1754 his literis amicum petivit: »Timaeum, quo copias meas ornatiores fecisti, cupidissime et iucundissime legi, miratusque solertiam sum, qua tanto iudicio et sedulitate Platoni et veteribus plurimis lucem adspersisti. Quem quidem laborem quoties perpendo, laetari in sinu soleo, inter principes te adscriptum iri, qui meliorum, iam evilescentium literarum deinceps patrocinium profitebuntur. Voluissem quidem certe ut amplissima in urbe is tibi campus fuisset adsignatus, in quo tua virtus et eruditio latius excurrere potuisset. Sed grata, quod dici solet, superveniet cet." In quibus ultima sine dubio spectant ad Athenaeum Amstelodamense, in quo sub illud tempus morte H. G. Vrijhofii cathedra iuridica vacabat, quam Ruhnkenius libenter obtinuisset et egregie ornasset, nisi alius ad eam vocatus esset [2]). Si per ipsum stetisset, Ruhnkenius non tot annos privatus in hac regione vixisset. Qui quum in literis d. 14 Mart. 1755 datis suam causam vehementer Wesselingio commendasset aegre ferens sibi multos esse praelatos nulla ingenii aut eruditionis fama commendatos, et spem reposuisset in summa eius apud rei publicae proceres auctoritate summis meritis quaesita [3]), hoc responsum accepit Id. April: »Haud equidem dignus tua forem amicitia, si vicem recusarem. Studeo tibi, praestantissime Ruhnkeni, atque, ubi se occasio dederit, cupide studebo; qua tamen in re plura mihi pollicerer, si is superesset,

1) Vid. Misc. critica Friedemanni et Seebodii, Hildesiae 1822. Vol. I part. II p. 344.

2) Cf. D. J. Lennepii Athen. Amst. memorab. p. 249.

3) Ruhnk. ep. ad div. p. 119 seq.

quem inter auditores Illustrissimum numeravi; nunc purpuratorum opus est favore et patrocinio, quorum tu mores nosti." Libenter itaque audivit Hemsterhusii opera Ruhnkenium Academiae Leidensi adiunctum esse et postea Oudendorpio successisse in historiarum et eloquentiae professione, et valde probavit eius consilium recusandae cathedrae in Academia Georgia Augusta [1]).

Io. Iac. Reiskius, vir doctissimus et ingeniosus, sed adversae fortunae, cuius sibi ipse magnam partem sua morositate faber erat, impatiens, multos viros doctos conviciis prosequebatur, eorumque odia in se concitabat. Ruhnkenius iniurias sibi ab eo illatas non tam leniter tulit, quam Wyttenbachius in illius vita narravit [2]), sed cum in epistolis aliis contumeliose eum tractavit tum in epistola ad Wesselingium [3]). Hic vero paene lacessitus, ut Reiskii correctiones Herodoteas condemnaret, ingenitam animi bonitatem non deposuit, sed caute et leniter respondit: »De Reiskianis alias. Mallem ab Anthologia Graecisque poetis, quos foede corrumpit, manus abstinuisset. Nunc fieri non potest, quin saepissime, sed merito suo vapulet."

Cum Reiskio, qui ipsum Traiecti viserat, frequens ei epistolarum consuetudo intercessit. Testantur epistolae triginta tres a Reiskio ad ipsum scriptae, quae in bibliotheca Leidensi servantur, ipsius ad Reiskium quatuordecim editae post Vitam Reiskii [4]). Reiskianarum prima

1) Ruhnkenius huius rei certiorem fecerat Wesselingium. vid. ep. laud. p. 130. Paucis diebus post ille nostro sermone ei rescripsit: „Dat UEd. voor het beroep te Gottingen hebbe bedankt, hebbe ik zeer goedgekeurt. UEd. is aan Holland reeds gewent, en heeft mijnes oordeels geen reden tot veranderinge: in tegendeel veele goede vrienden."

2) p. 250.

3) Vid. Epistolae D. R. ad diversos p. 118.

4) I. I. Reiskens von ihm selbst aufgesetzte Lebensbeschreibung.

cripta est Lipsiae d. 15 Dec. 1746, ultima d. 15 Oct. 764. Wesselingianae non omnes supersunt, neque tamen n scribendo tam assiduus fuit, quam ille. Quod quum ermanus aliquando male interpretatus esset, quasi ille propter Alb. Schultensium aliosque Batavos amicos a se aesos animo a se alienato esset, Wesselingius haec ei scripsit 4): »Erras tota via, praestantissime Reiski, si ex diuturniore silentio de meo in te odio, qui neminem odisse soleo, quid ominaris. — Non desii, ubi se occasio dedit, tibi ingenioque tuo favere. Forent quoque meliore loco res tuae, si mihi obtemperatum fuisset." Quae sane professio Reiskio fuit gratissima. Nam proximarum lite-arum hoc est initium: »Magno me gaudio affecerunt umanissimae literae tuae, Vir Maxime, quibus et benigni ii erga me affectus certiorem me facis, et conatus meos udas. Sentio tuis laudibus cupidinem ingenitam bene gendi et de literis bene merendi crescere, nihilque nittam, quo tuae de me egregiae exspectationi et norifico iudicio satisfiat."

Quanti autem faceret eruditionem Wesselingii declara-t, quum eius iudicio subiceret primum tomum Constan-niani operis de aula Byzantina a se editi et illustrati um his verbis: »Non enim novi literatos inter viros unum praeter Hemsterhusium, qui res in hoc libro tradi-tas te melius calleat et in numerato habeat."

Ceterum in illis epistolis multa inveniuntur de Abulfedae annalibus et geographia aliisque operibus quae Reiskius

---

Leipz. 1783. p. 790—813. Temporis ordo in his epistolis edendis neglectus est. Eum sic restituas licet: ep 1, 4, 2, 5, 3 (subscriptum est: *Trai. Id. Martii* sine anni nota. Sed ex iis quae de Herodoto et de Saxii oratione narrantur, apparet referendam esse ad annum 1753), 6, 8, 9, 10, 11, 7 (non est scripta a. d. VIII Kal. Jan. CIƆIƆCCLV, ut editur, sed anni sequentis), 12, 13, 14.

4) l. l. p. 795.

meditabatur, plurima de Herodoti recensione a Wesselingio suscipienda vel suscepta et absoluta, pauca de rebus privatis, nec magni momenti. Unum in his memoria dignum censeo, quoniam ostendit Wesselingium ita plane Batavum fuisse factum, ut Reiskius ne suspicaretur quidem eum in Germania natum et educatum fuisse. Nam in epistola d. 13 Oct. 1758 scripta haec legimus: »Quum ex Herodoteis tuis intellexerim Te germanice callere — provocas enim alicubi ad opellum Heilmanni — visum fuit ad te mittere opusculum vernaculo sermone nuper a me editum."

Quum ad ceteras occupationes accessisset iuris naturalis et publici institutio, et aetas iam appropinquaret ad annum sexagesimum, viri docti non tamen destiterunt multa exspectare a Wesselingii ingenio et industria. Non frustra exspectasse eventus docuit. Nec tamen unus omnia poterat, sed nonnulla aliis relinquere debuit, veluti Artemidorum. Fama enim percrebruit aliquando novam editionem τῶν ὀνειροκριτικῶν a Wesselingio parari, quam Ruhnkenius in aliqua epistola nuntiavit Rittero 1). Sed Wesselingius nunquam serio id agitasse videtur, aut, si forte, illud negotium mandavit postea discipulo, quem in paucis diligebat, R. M. van Goens, qui a. 1763 in Observationum Miscellanearum, quas praeside magistro defendit, capite secundo plures eius operis locos illustravit, et sequenti anno in Bibliotheca nova Bremensi edidit specimen observationum philologicarum in Novum Testamentum ex Artemidoro 2).

Epistolae criticae ad Herm. Venema scriptae et anno duodequinquagesimo editae supra mentionem fecimus.

Annus saeculi quinquagesimus fuit ei luctuosus morte

1) Vid. Ruhnk. Opusc. T. II p. 777.
2) Legitur in operis laudati vol. V fasc. II p. 198—238.

unici filii Iohannis, qui die 7 Februarii exstinctus est. Puer natus Franequerae initio anni 1735, deinde sub oculis patris primis literarum elementis Traiecti instructus, in urbem natalem studiorum causa remissus fuerat 1), quod pater, opinor, magistris, qui tum in gymnasio Traiectino erant, filium committere nolebat. Supersunt literae, quibus amicus Harlemensis tristi nuntio accepto patrem consolatus est. Multa ille de patre, pauca de filio, unde suspicio oritur puerum non fuisse praecocis ingenii nec de quo magna sperare licebat. Sed fortasse parcus fuit in laudando filio, neque dolorem ambitiosa virtutum laudatione augere voluit, maluitque eum lenire religionis et literarum solatio. Idem annus ei attulit aliquod gaudium, quod sua et Tib. Hemsterhusii commendatione effectum est, ut Herm. Cannegieter, vetustissimi amici filius, in locum Dominici Balckii Iuris Antecessor Franequeram vocaretur. Is egregia institutione doctisque scriptis hoc honore dignissimum se probavit et decem annis post in locum Iacobi Voordae Traiectum vocatus est, sed in Frisia manere maluit. Cuius consilii rationes fautori suo aperuit in epistola, d. 27 Junii 1760 scripta, quae superest.

Brevi post Iacobus Wetsteinius typographus, qui Diodorum Siculum honestis conditionibus prelo subiecerat 2), eum rogavit, ut Thesauri Morelliani tomo tertio, post mortem Sig. Havercampii opera A. Fr. Gorii Florentini absoluto, aliquid praefaretur, simulque ei auctor fuit ut novam editionem Herodoti susciperet. In praefatione scribenda

---

1) Constat e literis Valckenarii ad patrem a. 1748 scriptis, ubi legimus: „Filius tuus ornatissimus vellem ad me saepius veniret. Exemplum domesticum ipsi frequenter ob oculos ponam, quod imitetur, neque unquam deero, si qua in re ipsi potero prodesse.''

2) Pacti et conventi formulam casu servatam dabo in additamento III.

Wesselingius statim morem ei gessit, breviterque historiam operis a Morellio suscepti, ab aliis continuati et ad finem perducti narravit. Eo libentius id fecisse putandu est, quo magis ipse numorum amore tenebatur. Nar quantum prodesset eorum studium ad geographiam historiam illustrandam perspexerat saepiusque numos a hibuit ad locos obscuros investigandos et ad nomina rario explicanda 1). Ipse collegerat parvum Museum, cuius in dicem a Goensio, ut traditur 2), confectum vidi, un apparet fuisse in eo paucos numos Hispanicos, Punic Gothicos, Graecos (circiter L), plures Romanos (circit CCL), paucos item recentiores, in quibus raritate emin bant duo numuli aurei Dorestadi cusi.

De Herodoto, nec abnuit nec annuit. Rumor stat divulgatus est Herodotum Wesselingii sperari, et iam Maio 1752 Lipsia Reiskius laetus rem nuntiat De precatus, ut tantum opus, cui perficiendo solus ille p esse putabatur, per vires et valetudinem absolvere poss

Post Reiskium certatim viri docti eum impulerunt auxilia obtulerunt. Quibus precibus et promissis Wes lingius, etsi aetas paulo provectior aliud suadebat, pugnari se passus est et auxilia undique arcessens, su secivum tempus illustrandis historiarum patris scri impendere coepit.

Omnes qui de illis rebus iudicare poterant, laetaban

---

1) Cff. Observ. I, 12. II, 16. Probab. c. VIII, passim in adn ad Itineraria, in P. Burmanni comm. ad numism. Sicula p d'Orvillii Sicula p. 332 et 369.

2) Auctor mihi est Vir doctissimus B. ten Brink, in vita Goe p. 16. adn. 3. Libelli rarissimi index est: Numismata antiqua Museo viri celeberrimi Petri Wesselingii —, quorum publica institu distractio d. XIX Octobris, in aedibus celeberrimi defuncti. — Traj. ad Rh. apud Abr. v. Paddenburg et G. David Gromme bibliopolas MDCCLXV. (pg. 25).

Wesselingium virum Graece doctissimum, criticum valde circumspectum, qui historiae veteris cognitione omnes superabat, ad Herodotum expoliendum et illustrandum ingenium et manum admovere. »Impense gaudeo ac triumpho, scripsit ei Ruhnkenius 1), Herodoti curam tibi, Vir Maxime, quasi divinitus esss delatam Quanta hinc Graecis literis, quanta historiae veteri lux oborietur? Equidem ab exteris amicis undique symbolas corrogo, quibus institutum tuum tam praeclarum ornetur." Similia in literis Bernardi, Reiskii, Valckenarii, aliorum invenimus, et solus fortasse Wernsdorfius professus est malle se tantam curam positam fuisse in scriptore minus noto minusque a criticis purgato 2). Nos vero impense gaudemus magnum virum, qui vix minus quam Hemsterhusius et Valckenarius omnes scriptores Graecos versabat, qui neminem fastidiebat, qui ut sedula apis ex omni flore mel congerebat, maluisse laboribus suis finem imponere Herodoto ornando, quam in minus digno elaborare. Qua re a iusta reprehensione principum grammaticorum, quos patria nostra superiori saeculo habuit, olim a Cobeto enunciata 3), Wesselingium certe excipiendum censemus.

Consilium autem suum tam strenue peregit, ut iam initio anni quinquagesimi sexti Herodotum typographo tradere potuisset, nisi copiae novae saepius allatae, deinde difficultates ortae cum Luchtmannis, qui operis typis describendi curam susceperant, editionem retardassent. Aegre tulit Wesselingius hanc moram, sed animum non demisit. Dum sperat ex his se angustiis liberatum iri, aequis-

1) Ep. ad Div. p. 107.

2) Vid. epistola pridie Kal. Martii 1762 scripta, post vitam Reiskii edita p. 773.

3) Vid. comm. de sinceritate Graeci sermonis graviter depravata, p. 6 sq.

que conditionibus librum prelo tradi posse, interea scripsit Dissertationem Herodoteam Tiberio Hemsterhusio, qui ei auctor et suasor fuerat operis suscipiendi, dicatam. Si nihil aliud scripsisset, inter principes philologos tamen locum obtinere deberet. Liber enim anno 1758 Traiecti editus plenus est acutissimarum observationum, nec solus Herodotus, sed plurimi scriptores Graeci in eo partim e codicibus scriptis, partim certissima coniectura feliciter corriguntur. Qui dissertationem illam leget, mecum admirabitur disputationis concinnitatem, eruditionis ubertatem. Quanta hoc in libro elucet palaeographiae scientia, quanta grammaticorum lectio, quanta sermonis Ionici cognitio. Utinam hic thesaurus notior esset omnibus, qui Graecis literis diligenter operam dant. Nam multa insunt, quae nostra aetate ut nova inventa venditantur. Sed quum liber in publicis quoque bibliothecis plurimis desideretur, non vereor ne perdere operam dicar, si eius summa capita breviter descripsero.

In primo et secundo capite quaeritur de scriptis Herodoti deperditis et demonstratur veterum locos, quibus illa suspicio nitatur, esse ambiguae fidei. Quatuor sequentibus indicantur et corriguntur multa vitia e compendiis scribendi orta, ut in confusione nominum Herodoti, Herodori, Herodiani, alia, quae socordiae grammaticorum et aliorum scriptorum originem debent. Multa in Herodoti Musis corrigi posse e scriptis eorum, qui post eum vixerunt, multa e Laurentii Vallae versione, pluribus exemplis in capite septimo et octavo declaratur. In proximo agitur de codice Mediceo, cuius praestantia agnoscitur, sed non tanta esse perhibetur, ut cum Iac. Gronovio unicus fons habendus sit, unde scriptor emendari debeat, sed alios libros scriptos cum fructu consuli posse. Atque huic disputationi in extremo capite et in capite sequenti apte additur specimen, quo multi Ionismi a

·iis obliterati scriptori restituuntur. Penultimum ca- plures continet coniecturas, quibus cum aliorum tum odoti nonnulla vitiosa sanantur. In ultimo capite tan- tur duo nodi chronologici in Solonis cum Croeso col- ɪio, quod relatum est ab Herodoto I, 29 seqq., et ptor fatetur magis sibi placere veterum fidem tueri .moda disputatione, quam eorum statuere fraudem.

egotium cum Luchtmannis, sua cupiditate editionem antibus, non habuit exitum, quem Hemsterhusius et ;selingius speraverant. Sed inventus est alius typogra- s, qui interpretem aetate provectum vanae operae vel onis postumae metu liberaret, prodiitque Herodotus selingianus sumptibus et ex officina P. Schouteni Am- dami, a. 1763.

ɪo rariora sunt exempla dissertationis Herodoteae, eo ɪ circumferuntur exempla huius editionis, quae olim ɪti pretio cupide petita nunc vix emptores inveniunt ɪ distractionibus librorum paene abiiciuntur. Cuius ɜmptus causa minime tamen quaerenda est in nimio ɪplorum numero, multoque minus in operis vitiis defectibus. Sed aliis forma libri et moles displicet; ɔderunt versionem Latinam Graecis oppositam, quam ɜelingius invitus adiecit, quoniam plures desidera- ; alii recentiorem aliquam editionem usibus suis ap- ɪm censent. Atque fatendum est in centum annis, post illam editionem praeterierunt, et studium lin- Graecae, et cognitionem historiae et geographiae et um disciplinarum, quarum ratio haberi debet, ingen- 'ecisse progressus. Sed si non plura postulamus ab ɔre, quam quae illa aetate praestari poterant, atque l cogitamus ipsum non potuisse suis oculis perlustrare ɔes MStos, sed collationibus non accurate factis usum , non dubitabimus calculum adiicere laudibus, quibus issimi aequales opus ornarunt et Wesselingium prose-

cuti sunt, quarumque veritatem agnoverunt hoc saeculo Io. Schweighaeuserus et Thomas Gaisfordius, quum ille integras, hic longe plurimas Wesselingii et Valckenarii adnotationes in suis editionibus repetendas curarent.

Habet enim Herodotus Wesselingianus egregium ornamentum et veluti cumulum doctrinae Valckenarianae. Valckenarius, e disciplina Tib. Hemsterhusii et Petri Wesselingii profectus utrumque magistrnm diligebat et quamquam illi priores deferebat, hunc quoque ob virtutes animi, tum ob veteris historiae peritiam maximi faciebat 1). Hemsterhusius et Ruhnkenius communes amici dicuntur eum impulisse, ut suam operam cum Wesselingio coniungeret 2) apparetque e paucis epistolis, quae ad nos pervenerunt, eum non diu postquam cognoverat Wesselingium totum esse in Herodoto ornando eius iudicio submisisse observationes ad locos nonnullos obscuriores. Epistola d. XII Iulii 1754 scripta continet eiusmodi adnotationes ad locos libri secundi et tertii, quibus plerisque in editione locus datus est. Duae coniecturae ingeniosae illae quidem, sed falsae ad II, 66, ubi pro *οὐ πατέονται* coniecerat *οὔ τι ἀτέονται*, et ad II, 77 ubi *μνήμην ἄνωθεν πάντων* scribendum putabat, quum e scribendi compendiis male confusis *μνήμην ἀνθρώπων πάντων* factum esset, merito deinde reiectae sunt. In alia epistola sine temporis nota Belgice scripta haec fere legimus: »Mitto tibi una meas adnotationes usque ad pag. 120; si quid in iis tibi displiceat, deleas quaeso 3).” Verissime autem Wyttenbachius iudicavit, quum Wesselin-

---

1) Vid. adn. ad. Theocr. Adoniaz. p. 267.

2) Wyttenb. in vita Ruhnkenii p. 85 seq.

3) Ipsa verba sic se habent: „Zende UWE. hiernevens mijne aanmerkingen tot aan Pag. 120 loopende: zoo er iets in is dat UWEd. mishaagd, gelieve het maar vrij door te schrabben.”

gius magis res, Valckenarius magis verba illustraret, coniuncta utriusque opera prodiisse editionem, quae una ex omnibus omnium Graecorum scriptorum editionibus excellentissima et vere palmaria esset 1). Scio multos esse, qui Wesselingii adnotationes longe postponant Valckenarianis; sed minus a veritate abesse censeo, qui suam et propriam laudem utrique tribuunt, maiorem Wesselingio, quod arduo labore diiudicandae varietatis codicum et orationis constituendae fere solus perfunctus sit. Iis denique qui de Wesselingii partibus in hoc opere paulo iniquius existimant, opponere liceat Ruhnkenii iudicium, qui quum amico Traiectino opus absolutum gratularetur, scripsit: »Equidem quibus verbis tibi gratias agam et gaudium meum significem, non reperio Nam maius a te et in literas, et in nos qui eas colimus, beneficium profectum est, quam ut eius magnitudo verbis aequari possit. Variae quidem laudes dudum nomen tuum immortalitati commendarunt: sed ex omnibus haec maxime tibi propria laus futura est, ut quemadmodum N. Heinsius veterum poetarum, sic tu veterum historicorum sospitator uno omnium ore praediceris 2)."

Magis etiam admirabimur ea, quae in hoc opere Wesselingius praestitit, si cogitamus multa, quae laborem interpellare animumque scribentis alio avertere debuerunt. Nam ad ceteras occupationes accesserat cura bibliothecae Academicae, ipsi post obitum Drakenborchii mandata. Nescio possintne eius hoc in munere merita etiam nunc aestimari; sed officiose et comiter eo functum esse Strodtmanno affirmanti quidni credemus? et Wesselingium, qui omnia munera fideliter obire solebat, in hoc uno negligenter fuisse versatum quis sibi persuadebit?

1) Vita Ruhnk. l.l.

2) Epist. D. Ruhnk. ad diversos p. 125 sq.

A commentando et scribendo saepe etiam res domesticae avocarunt, veluti quum mense Aprili a. 1754 alteram filiam Annam Apolloniam nuptum collocaret Gisberto Bonneto theologo, qui tunc apud Amisfurtenses verbi divini minister erat, et septem annis post ex ecclesia Hagana Traiectum migravit Theologiae professor. Sed quum res laetae salutationibus et congratulationibus paucos dies eximerent, longe aliter et diutius mentem occupare et luctu implere debuit optimae uxoris languor et diuturna aegrotatio. Cum ea in Zeelandia circa annum 1724 matrimonium iniisse videtur, ex quo natae sunt duae filiae Cornelia Elisabetha et Anna Apollonia, unus filius, quem parentes nondum adultum amiserunt. Coniugis rara mentio fit in epistolis aliorum, nulla in epistolis mariti quae superant; quod non mirum est nec in malam partem explicari debet, quum omnino de rebus domesticis vix unquam sermo sit. Eo tamen modo Schultensius, d'Orvillius eiusque cognatus Hubertus Iureconsultus Zwollanus, qui pl[illegible]res per annos studiorum causa Traiecti quum esset [illegible] aedibus Wesselingii familiarissime fuerat versatus, de [illegible] scripserunt, ut non temere affirmare possimus bona[illegible] marito et liberis fuisse. Itaque maritus non sine sollicitudine vires eius imminutas vidit, nec potuit non graviter affligi quum illa pridie Kal. Nov. a. 1757 vita fungeretur. Quod reliquum erat aetatis senex cum filia maiore transegit, quae patri superstes caelebs obiit d. 19 April. 1792.

Saepius quoque provectioris aetatis incommoda expertus est, ut vel ex ultimis verbis praefationis ad Herodotum novimus, quibus Deo gratias agit, quod inter morborum tot vices hunc laborem terminare sibi contigerit. Magno tamen et forti animo haec tulit et Reiskio, qui de valetudine eius certior fieri cupiebat, aliquando 1) respondit:

1) Ex epist. a. d. IV Kal. Iul. 1758 scripta cum Reiskii vita edita. p. 811.

»Sum valetudine prospera, quam tamen interdum calculi dolores atque alia increscentis aetatis incommoda turbant, et praeter cetera visus hebetior. Quae quidem etsi haud iucunda, tanto sunt tolerabiliora, quanto aliorum et aequalium quidem graviora." Mentis vigorem illis incommodis non fuisse obtusum quum Herodotea declarant, tum ea quae ipse se spectans scripsit in dissertatione Herodotea [1]. Nam quum concessisset sententiam III. 134 tributam Atossae, mentem cum corpore augescere et cum eodem senescere et hebetari, aliquid ex vero trahere, tamen ne nimium ei tribueretur cavit allato Heraclidis praeclare dicto, quantum corporis vires in senectute pereant, tantum augeri mentis vigorem. Quamvis autem mense Sept. 1763 exemplum Herodoti sui Reiskio mittens simul ei nuntiavisset »valere se paulo melius, quam tota aestate licuisset" [2], tamen senectutis incommoda ita ingruebant, ut sentiret et intelligeret nunc sibi non novum laborem esse suscipiendum. Quod quum iam superioribus literis significasset eidem, hoc responsum tulerat: »Laborum hic te terminum ponere decrevisse scribis. Quod tametsi habet non parum acerbitatis, ad nos quidem, qui literas diutius a Te mallemus ornari, parendum tamen est naturae necessitati, eoque Tu potes animo erectiore ex hac bonarum artium palaestra excedere, quod Tibi licet cum illo Vergiliano Entello hic victori caestus artemque reponere. Magnam affert oblectationem vitae praeclare et in honestis studiis actae peractaeque recordatio; qua ipsemet ego me interdum solor, cum imminens mihi fatum, non horresco quidem, at e signis tamen quibusdam haud obscuris colligo. Strenue te in hac palaestra desudasse meminimus omnes, et testabuntur ad omnem memoriam,

---

1) Pag. 176 sq.

2) Vid. Wess. epist. ultima ad I. I. Reiskium, l.l. p. 813.

quae tu immortalitati conservata dedicasti monumenta splendidissima. Quamquam propter ea, quae commemoras, aetatis affectae et valetudinis incommoda nolim equidem auctor Tibi esse magni alicuius operis suscipiendi, non ideo tamen despero quin Tibi per fata liceat, saltem minoribus lucubrationibus edendis adhuc in posterum literas ornare. Sed haec quidem, ut par est, „θεῶν ἐν γούνασι κείσθω" 1). Frustra quoque Ruhnkenius ei auctor fuit ut Herodoto absoluto se conferret ad Dionysium Periegeten expoliendum, eique subsidia ad eam rem misit, aliaque mox missurum promisit 2). Wesselingius, etsi poetam illum non neglexerat et in editionis Oxoniensis exemplo suo plura marginibus inscripserat, quae novae recensioni viam sternere potuissent 3), expugnari se non passus est, sed tenuit illud quod post primam eius rei factam mentionem animo suo decreverat, ut eiusmodi laboribus finem faceret 4).

Ultimum tempus vitae non caruit honoribus. Multa quae hodie in illum censum rediguntur, velut insignia ordinum equestrium, tum nondum inventa erant, aut nullis dabantur nisi re bellica fortiter gesta. Non male nobiscum ageretur, si phalerae et torques militibus fuissent relicti. Aliae res melius virtutes et laudes virorum doctorum declarant, velut si adleguntur societatibus eruditis, si laudantur

1) Ex epist. Reiskii ad Wess. inedita scripta Lipsiae d. 27 Julii 1763.

2) Cff. epistolae a Mahnio editae p. 130, 126, 131.

3) In catal. bibl. Wessel. P. II. p. 42 nominatur: „Dionysii Periegesis cum comment. Eustathii. Oxon. 1697 c. n. Mss. Cl. def."

4) Ipsius verba sunt Belgice perscripta in literis d. 25 Nov. 1762 ad Ruhnk. scriptis: „Met Herodotus, zoo ik denselven te einde brenge, waer aen eenige twijffelinge krijge, meen ik een einde te maken. Het veel arbeiden past mij niet meer. En summa vitae brevis spem etc. Ondertusschen ontbreekt mij de lust niet, waer gebruik van maken zal, zooveel gezondheid gedoogt."

a laudatis viris. Eiusmodi honores non defuerunt Wesselingio. Anno 1755 adscriptus fuit societati disciplinarum Harlemensi, quod paucis philologis contingebat. Anno 1761 Nic. Barkey eius nomini inscripsit secundum fasciculum Bibliothecae Bremensis novae, sed tam ambitiose eum laudavit titulisque oneravit, ut eius modestiam laesisse existimandus sit. Multo iucundius ei fuisse crediderim, certe a nobis multo gravius iudicatur, quod duobus annis post Ier. Marklandus, qui praeclaris scriptis iam diu magnum nomen inter criticos adeptus erat, eius nomen cum Tib. Hemsterhusii nomine coniunctum praeposuit eleganti prooemio suae recensionis Supplicum Euripidis. Quae quidem dedicatio non minus commendat nobis scriptorem, quam ornat eos, quibus missa est, qui non magis ob eruditionem et iudicium, quam ob verae eruditionis rectique iudicii fructus, modestiam et humanitatem, laudantur [1]. Neque novimus Wesselingium tam alienum a laude et honore, ut non libenter accepisse putemus nummum aureum sibi ab Electore Palatino Herodoti ἀντίδωρον donatum [2].

Post editum Herodotum vixit unum annum et paucos menses, muneribus suis vacans, plurium annorum accessionem non optans. Vitam peractam reputans poterat laeta cum spe futura prospicere; sed, ut erat plenus pietatis et religionis Christianae verus cultor, Dei O. M. gratiam et favorem implorare malebat. In his spem reponens mortem non timebat, mortique proximus, quum corpus febri exhauriretur, nominis celebritatem quaeque vulgo magni aestimantur, flocci faciebat prae Christi amore, et moribundus adstantes verbis, et quum lingua non posset,

---

1) Vid. Euripidis Supplices cum notis Ier. Marklandi, cet. Oxonii 1811.

2) Rem didici ex epistola C. V. Vonckii.

nutu signisque admonebat aeternae felicitatis praesensione animum erigi et recreari.

Placide obiit die nono mensis Novembris anni sexagesimi quarti, quum aetatis suae septuagesimum tertium paene implesset. A nonnullis alium diem indicatum vidimus, eius mensis undecimum 1); sed hi certo errant. Nam in Actis Senatus Academici haec scripta sunt: »Saturni die Nov. 10, quum pridie eius diei vivere desiisset Vir Clarissimus et Celeberrimus P. Wesseling. I. U. D. Iur. Nat Publ. Rom. Germ. Historiarum Eloquentiae et Graecae linguae Professor ordin., referente Prorectore decretum consentientibus suffragiis fuit et luctum ingentem, quem Senatus ex summi viri morte percepisset, genero eius, viro plurimum reverendo eidemque Magnifico Academiae Rectori binisque filiabus testandum esse, et funebrem orationem offerendam." Talis oratio, quae solebat haberi professore mortuo, tamen non est habita. Nam Wesselingii gener, vir Clarissimus Bonnetus, ex voluntate defuncti honorem deprecatus est.

Ergo qui pro concione mortuum de industria laudaret, nemo exortus est; sed qui alio tempore vel loco laudarent non defuerunt. Primus fecit vir doctus in Bibliotheca disciplinarum et artium, quae Gallice scripta Hagae Com. edebatur, cuius narratione aliquoties usi sumus. Scriptoris nomen ignoramus, sed apparet eum Wesselingii familiarem fuisse aut ex intimorum relationibus plura hausisse. Refert enim nonnulla quae aliunde peti non poterant, velut quae de eo puero bonis literis dedito, de cognitione linguarum Europae recentioris, de commercio literario cum viris principibus per totam Europam, de placida morte

1) Ita est in Elogio P. Wesselingii in Bibl. scientiarum Gallice scripta T. XXII. p. 501 idque secutus est Bergmannus in adnot. ad Ruhnk. Opusc. p. 145.

arrantur; quae singula digna mihi visa sunt, quae ipsis verbis in adnotatione ad hunc locum describerentur. 1) Recte idem observavit non melius intelligi quantam iacturam Academia in eo fecerit, quam decreto magistratuum Traiectinorum, quo varia munera, quibus ille solus optime functus erat, tribus collegis mandaverint.

Qui illo anno Rectoris Magnifici munere fungebatur, non poterat in oratione sollemni memoriam defuncti col-

---

1) „La nature l'avoit abondamment partagé de tout ce qu'il falloit pour réussir. Il étoit d'une complexion saine et vigoureuse, d'un tempérament fort et tout-à-fait propre à fournir à des travaux continuels sans que son esprit en fut accablé.

„Sa mémoire faisoit l'étonnement de tous ceux qui l'approchaient; elle ne l'abandonna jamais au besoin. Il concevait les choses clairement et aisément. S'il ne fut pas doué d'une de ces imaginations hardies et brillantes, il en étoit bien récompensé par un discernement heureux, un jugement ferme, solide et débarassé de toute espèce de prejugés."

„Il avait cultivé avec soin les langues Orientales — et il s'étoit rendu également familières les anciennes langues de l'Europe. Il n'étoit pas moins au fait de celles qu'on parle à présent dans l'Europe policée."

„Il avait surtout fouillé fort avant dans les ténèbres, qui couvrent les origines des gouvernemens, des loix et des moeurs de l'Europe moderne. Ce fût principalement là que les savantes recherches qu'il avait faites dans les langues de l'ancien Nord lui furent d'un grand secours."

„Il avait étudié à fond les hommes et les affaires, aussi bien que les livres. L'Iliade ne lui étoit pas plus familière que l'histoire de l'esprit humain. A toutes ces qualités superieures il joignait le talent de communiquer ses idées à ses auditeurs d'une manière claire, energique et persuasive en même temps. Peu de personnes ont possedé ce don au même degré que lui."

„Humble et modeste il n'étoit pas moins respectable par les qualités de son coeur, qu' admirable par celles de son esprit. La douceur de son commerce et la belle humeur qu'il mettoit dans la conversation, le faisoient rechercher dans la société."

legae silentio premere. Et erat ipse gener defuncti Gisb. Bonnetus, olim discipulus, qui a. 1753 illo praeside defenderat a se scriptum specimen de causis superstitionum inter Christianos, nunc per ultimos annos collega, qui initio anni optimi senis gratulatione ornatus, eum in exitu muneris superstitem valentemque libentissime adspexisset. Sed non ita in fatis fuerat. Itaque in exordio orationis, quam d. 28 Martii a. 1765 habuit de vera iustaque Iesu Christi cognitione, summa mortalium sapientia, luctum suum et Academiae attigit, sed abstinuit a laudando socero, certus eius memoriam carissimam fore omnibus, qui unquam ab eius ore pependissent, scriptisque ad seram posteritatem esse perventuram. Multus contra est in depingendo placido vitae exitu, cuius causam hanc fuisse affirmat, quod omnis eius spes in uno Christo reposita erat. Quare in extrema oratione ornatissimos adolescentes ad optima quaeque hortatus denuo soceri defuncti memoriam ita instauravit: »Quin et hoc addere liceat, si praeceptoris quondam Wesselingii desiderium vos unquam teneat, si viris eum eruditis suo merito adnumerandum censeatis, id quoque memineritis, quem viventem valentemque aliquam nominis celebritatem sibi acquisivisse nemo nostrum infitiabitur, eundem morti proximum, singulari interdum animi commotione, omnia quae magni inter mortales plerumque aestimantur, prae Servatoris sui amore et meritis fuisse aspernatum, quin flocci fecisse, laetumque eum, ovantem ac fere triumphantem adseverasse atque iterum iterumque omnes qui aderant admonuisse Iesu Christi cognitionem summam èsse mortalium sapientiam."

Mortui Wesselingii hereditatem Academicam qui ex asse cerneret nemo erat. Sed primo tempore rumor publicus literarum Graecarum professionem Valckenario, Iuris Peronneto adsignabat, ut ex Ruhnkenii literis

discimus 1). Et verisimile est hos fuisse inter eos, qui rogati sint vellentne provinciam sibi mandatam adire. Sed Valckenarius cum Hemsterhusio et Ruhnkenio Lugduni Batav. vivere et docere malebat. Etiam exteri lautis conditionibus invitati sunt, ut Wesselingio succederent. Qui rebus Academicis praefecti erant ex magistratibus non diu post Wesselingii obitum rogati, ut successorem unum vel plures quaererent et nominarent, Kal. April a. 1766 retulerunt in curia Io. Theoph. Boehmium professorem Lipsiensem vocandum videri. Magistratus urbis itaque eum per literas rogarunt quid faceret, si vocationis tabulae ad eum perferrentur. Ille moras nectit, nec ante medium Sextilem eius anni conditiones sibi oblatas recusavit. Interim decuriones longioris morae pertaesi rursus suos deputatos rebus Academicis iusserant nominare qui in locum Wesselingii demortui vocarentur, et reipublicae Gubernator eodem tempore negotium urgendum sibi videri per literas significavit. Itaque brevi post tres viri docti in eius locum vocati sunt, Meinardus Tydeman, Professor iuris naturalis, gentium ac publici, Carolus Segaar, Professor linguae Graecae, Ryklof Michael van Goens, professor Historiarum, Eloquentiae et linguae Graecae extraordinarius. Qui quum d. 22, 25 et 29 mensis Septembris orationes inaugurales haberent, Wesselingii memoriam magnis laudibus decorarunt.

Imprimis primus et tertius, qui fuerant carissimi discipuli eius, cui nunc succedebant, pulcre et sine fuco de eo dixerunt

Tydemannus, qui primum Daventriae, tum per quinquennium Traiecti literis et iurisprudentiae operam dederat, vix annum aetatis vicesimum secundum impleverat,

1) Epistolae mutuae D. R. et L. C. V., editae a Mahnio, p. 121.

quum maxime Wesselingii commendatione Rector gymnasii Leovardiani creatus est a. 1763, unde mox transiit in Academiam Harderovicenam Historiarum et Literarum antiquarum professor. Nunc in alia provincia magistro succedens »Quis ego," rogavit munus adiens, »quis ego ad Wesselingium? ad cuius maximi viri nomen horrore quodam intremiscere sentio totam meam mentem artusque omnes; viri, quem Academia vestra, quem docti, quem boni ac pii lugebunt diutissime: qui damno non reparando litteris vobisque ereptus est; cui quidquid ego sum unice ferme debeo; qui tantum poterat in historia, quantum aevo nostro nemo." Haec ille oratione ad Academiae curatores et magistratus conversa, nec parcius dilectissimi magistri laudes praedicavit collegas compellans, qui »summam eius eruditionem animumque sincerum et ab omni fuco alienum, morum suavitatem et elegantiam" merito desiderabant.

Goensius autem, qui puer XV annorum diatriben de cepotaphiis »doctam profecto et laboriosam" ut Wesselingius in epistola aliqua vocat 1), scripserat et sequenti anno praeside illo Observationes miscellaneas defenderat et Porphyrium de antro Nympharum cum commentario ediderat, quum in illis libris occasionem captaverat laudandi magistri et fautoris sui, cuius praeclara in se merita satis celebrare non poterat, tum munus professorium in tantilla aetate — nam a 1748 natus erat — auspicatus omnia se ei debere professus est. »Lugeo illum, ait, quem praeceptorem habuisse maxima felicitatis meae pars est, cuius aurea praecepta per quatuor et quod excurrit annos animo combibi, cui, si quid est in me doctrinae, gratus acceptum refero. Lugeo illum, a quo non modo erudiri, sed quod prope maius est, a quo amari mihi contigit, cui[illegible]

1) Ad Reiskium, l. l. p. 813.

mores castissimos et omnis labis expertes vitae meae normam putabo" 1).

Viginti annis post collegae qui eius fuerant, nondum tanti viri memoriam abiecerant. Testor orationem panegyricam a. 1786 a Sebaldo Ravio habitam, quum Academiae tricesimum lustrum clauderet. Ex ea, quae ad nostram rem pertinent, propter dictionis elegantiam libenter meis insero: »Praeterire non possum praecipuum huius seculi heroem, Petrum Wesselingium. Is Franequera, nobili illa professorum schola, quae Leidae Alb. Schultingium, Hemsterhusium et Valckenarium dedit, prodiens tantam Academiae nostrae celebritatem sibique in orbe literario eruditionis famam comparavit, ut nullam causam aliam exputare possim, quare nemo alicuius nominis eius vitam descripserit, nisi quod unius hominis non sit tanti viri merita et laudes aut animo concipere aut enarrare. Erat certe Wesselingius vir immensae lectionis et incorrupti iudicii, qui unius ingenii sui vastissimo ambitu tot scientias et disciplinas complectebatur, ut si eius peritia, quam consecutus erat in Theologia et exegesi sacra, in Iure publico et naturali, in literis Graecis et Latinis, in Geographia veteri et temporum doctrina, in omnis aevi historia cum civili tum ecclesiastica, in critica denique et antiquitatibus sacris et humanis, in plures fuisset divisa, potuisset tot viris doctis materiem laudis et eruditionis sufficere, quot ipse scientias possidebat. Memoria ipsi contigerat tanta, ut omnia quae legerat, retineret; tamque prompta et parata, ut commune nostrum esset oraculum. Quare, cum simul acri iudicio uteretur, mirum non est eum maiori cum fructu

1) Vid. oratio de incrementis, quae humaniores literae, historiae imprimis et linguae Graecae studium, seculo hoc decimo octavo ceperunt, p. 36 seq.

et felicitate in intelligendis antiquis auctoribus versatum esse, quam nonnulli alii, qui anguste habitant et ad unam aliquam artem vel scientiam tanquam ad scopulum sunt allisi."

Diutius etiam magni viri memoria viguit apud eius discipulos Mein. Tydemannum, Ionam te Waterum, Adr. Kluitium, alios, qui ipsi senes facti libenter de magistri incomparabilis laudibus loquebantur, ut ex eorum discipulis saepe audivimus. Omnibus fuit gratus et acceptus, omnes admirati sunt eius ingenium, immensam doctrinae copiam, eruditionem humanitate conditam, memoriam tenacissimam, mores nulla labe adspersos. Unus Klotzius, qui negabat ullum tam eximium esse ingenium, cui non aliquid terrenae faecis admistum sit, scripsit multos in eo candorem desiderasse, sermonemque saepe ab animo discrepantem notasse 1). Quem ego rumorem non puto ab ipso Klotzio inventum esse, sed ab aliquo sparsum, qui ipse asper et acerbus non poterat ferre hominem a litibus abhorrentem, mansuetum, comem, qui petulantiae non petulantiam, sed silentium opponebat. Possem incerto rumori certos opponere testes, qui Wesselingium fuisse hominem candidum, ab omni fraude et simulatione alienum laudaverunt; sed malo cum Klotzio componere Reiskium, virum minime blandum, qui ea de re longe aliter iudicavit. Is enim d. 13 Aug. 1764 donum acceptum his verbis nuntiat: »Herodotus tuus mihi redditus est, munus amplissimum, quo gratius aliud acceptiusve vix reddi poterat. De caeteris ut taceam ornamentis, quibus patrem historiarum instruxisti, laudes tantummodo attingam, quibus me cumulasti plane non meritum. Es profecto sine controversia ut ingenii et li-

1) Vid. Elogium P. Wesselingii l. l. p. XII seq. Klotzii verbis Frotscherus adscripsit: Apage calumniatores istos!

terarum, ita humanitatis quoque laude florentissimus. Quanta Tu praedicatione, si qua sunt mea bene excogitata et solerter inventa effers, quanta dissimulatione lapsus meos celas, quanta verborum comitate reprehensionis asperitatem mollis et quasi vestis! Quibus tu me modis tractasti, utinam iis tractatus ubique a Valckenario essem, utinam dissentientes inter se omnes iisdem, quibus Tu, armis pugnarent!"

Itaque censemus Petrum Wesselingium, virum bonum et magnum, inter principes grammaticos et historicos superioris saeculi merito esse relatum. Ille praeclara iuventutis in Academiis Franequerana et Rhenotraiectina institutione per quadraginta annos literis et humanitati ita profuit, ut dignus esset cuius memoria apud gratos discipulos viveret quam diutissime; ille plurimis scriptis iudicium, eruditionem, industriam ita probavit, ut, quamdiu antiquis literis suus constabit honos eruntque qui Latine scripta intelligant, eius nomen non sit interiturum.

ADDITAMENTA.

I.

Wesselingio suo S. D. P. Ti. Hemsterhuis.

Epistola Basilii (quae tamen, ut mihi videtur, procul dubio mentitur inscriptionem), cuius hesterna vespera meministi, movit me ut rimarer, si quid in Adversariis esset notatum. Inveni sane et hanc ipsam et alia multa iam dudum observata, sed difficultatis dubitationisque plena. Primum conferendus est omnino locus Gregorii Nisseni, T. III. p. 501, ubi pessime legitur *ἐν χρόνῳ παραμείβει τὴν πόλιν* pro *ἐν χρῷ*. Tum qui sunt *οἱ Σεβαστηνοί;* quisquamne ita vocavit incolas *τῆς Καισαρείας τῆς ὑπὸ τῷ Ἀργαίῳ;* nam ita dicuntur Sebastes Armeniae, cui ut Lycus erat proximus, ab eo, quem dixi, Greg. Nyss. graphice descriptus, sic Halys longo terrarum tractu dissitus: at ille noster, si modo in *Ἀργίου* latet mons Argaeus, Caesaream Cappadociae manifesto signavit. Iam vide de martyrio XL militum Martyrologia Baronii et vetustius Fr. Mariae Florentinii ad VII Idus Martii, et Acta horum Mart., quae ad manus non sunt, uti nec Tillemontius, quem hac de re multa fuisse commentatum notavi. Olim me falsus Basilius induxerat, ut suspicarer in Herod. I, 72 legendum esse *ἐξ Ἀργαίου οὔρεος·* sed frustra fui, ut me docuit Dionys. Perieg. v. 786, qui et Thermodontem v. 774 *ἀπ' οὔρεος Ἀρμενίοιο* derivat et Phasin v. 694. Halyn a Tauri montis radicibus decurrere facit Plinius. Herodoto I, 61 obloquitur Arrianus in P. P. E. Alia sunt in Herodoti descriptione, quae expedire vix licet, nisi et veteris Geographiae vitia, et rationem in finibus regionum terminandis

mutatam post Alexandrum Magnum quis cognoverit: qua de re multa et parum explorata dicam, si unquam ad examen et in ordinem revocare dabitur, quae de Geographia Homerica et Herodotea congessi. Haec eo tantum monui, ut illius epistolae difficultates vel levares, vel diligentius attenderes. Vale a Tuo.

Hac observatione Wesselingius usus est in adnotatione ad Itineraria p. 699, ubi Hemsterhusium suum laudat.

II.

Extract uit de Resolutien van de Ed. Agtb. Heeren Borgemeesteren en Vroedschap der Stadt Utrecht.

Maandagh den 28 Febr. 1735.

De HH. Borgemeesteren en Gecommitteerden tot de Academische saaken hebben ter vergaderinge voorgebragt, dat, wijl de vacature door de dimissie van den Heer Professor Duker, die zedert veele jaaren de professio litterarum et eloquentiae op de Academie alhier met groot succes en loff heeft bekleed, alsnog is onvervuld, het van veel nut soude zijn en seer soude strecken tot welzijn van de Academie alhier, soo deszelfs nog openstaande plaatse weder met den eersten wierde vervuld met een Heer van naem, geleertheijt en verdere beroemde qualiteiten daartoe vereist; dat ook daartoe alomme hadden vernomen naer Heeren van reputatie, geleerdheit, en verdere loffelijke bequaemheden tot de voors. professie nodig, en eenparig van advies waren omme haer Ed. Agtb. alsnog weder voor te dragen den Heer Petrus Wesselingh, beroemt Professor Eloquentiae et Historiarum ordinarius in de Friesse Academie te Franequer, welkers goede qualiteiten, beroemde studien en geleerdheijt alomme bekend zijn, en waarvan haar Ed. tot genoegen is gebleken: waarop serieuselijk gedelibereerd zijnde, heeft de Vroedschap eenparig goedgevonden te beroepen, als geschied bij desen, den welgemelten Heer Petrus Wesseling, althans beroemd Professor ordinarius Eloquentiae et Historiarum op de Academie van Franequer tot Professor ordina-

rius Eloquentiae, Historiarum et linguae Graecae in de Academie alhier op een jaerlijx tractement van sestien hondert guldens boven de emolumenten, prerogativen en voordeelen, tot de gemelte professie specterende; en zal deselve professie aan welgemelte Heer Wesselingh sonder resumtie dezes aanstonts bij missive in honorable termen te schrijven behoorlijk worden geoffereerd, en Sijn Eds acceptatie en spoedige overkomst herwaarts verzogt. Accordeert in kennisse van mij

E. v. HARSCAMP.

III.

Articulen van accoord tusschen de Heeren Wesseling, Wetstein en Smith over de uitgave van Diodorus Siculus.

I. De uitgever zal hebben 't regt van de opdragt.

II. Voorts vierentwintig exemplaren en zes in groot papier gebonden.

III. Hondert ducaten an geld, waervan 50 zullen betaalt worden als 't eerste deel afgedrukt is, en de overige 50 als 't geheele werk zal voltoiet zijn.

IV. Nog 50 ducaten in boeken enz.

V. Verder de volgende boeken: Chrysostomus van Montfaucon compleet, Bibliotheca Bibliothecarum van denselven, Areteus Cappadox van Bourhaven, Hippocrates Foesii cum Oeconomia, Stephani Thes. linguae Latinae Cantabrigiae editus, Aeschylus Stanlei, Homerus van Clarke, Martini epistolae, Bibliotheque raisonnée alle gebonden.

Hiertegen belooft de uitgever bij gesondheit copie te leveren met de aanstaende maent September en met alle spoet 't begonne werk voort te setten zonder, uitgenomen door siekte, gelegentheit te geven van 't staken.

Voorts zal de laeste proef van hem gecorrigeert werden, en zal hij de indices rerum en verborum en notarum maken en daervoor genieten het Corps diplomatique met de supplement compleet gebonden.

Zoo 't mochte gebeuren dat de uitgever quam te overleden, voor dat 't laeste deel afgedrukt is, zullen zijne erfgenamen na rato van 't gene gedaen is en nog moet gedaen worden, de ontvangene boeken restitueren. Actum Utregt d. 15 Maert 1738.

(*was get.*) P. WESSELING.
WETSTEIN en SMITH.

CORRIGENDA.

P. 19	adn. 3	legatur:	Orat. de gymn. Mediob.
P. 48	v. 7	„	Latinarum.
„	adn. 1	„	442.